

PONTIFICIUM CONSILII
DE LEGUM TEXTIBUS
INTERPRETANDIS

COMMUNICATIONES

VOL. XXVII - N. 1

1995

COMMUNICATIONES

PONTIFICIUM CONSILIUM
DE LEGUM TEXTIBUS INTERPRETANDIS

Piazza Pio XII, 10 - 00193 Roma

N. 1

Semestrale

IUNIO 1995

Sped. Abb. Postale - 50% Roma

EX ACTIS IOANNIS PAULI PP. II

ALLOCUTIONES

Allocutio Summi Pontificis ad Iudices, Administros Advocatosque Rotae Romanae co- ram admissos	3
---	---

EX ACTIS SANCTAE SEDIS

SECRETARIA STATUS

Rescriptum ex Audientia Sanctissimi quo Normae Rotales in forma specifica approbantur	9
---	---

CONGREGATIO DE CULTU DIVINO ET DISCIPLINA SACRAMENTORUM

Instructio de Liturgia Romana et Inculturatione	10
---	----

ACTA CONSILII

Quaestiones quaedam studio Pontificii Consilii submissae	30
Pontificii Consilii Publicationes	31

EX ACTIS PONTIFICIAE COMMISSIONIS CODICI IURIS CANONICI RECOGNOSCENDO

Coetus studii « De Institutis perfectionis » (Sessio X)	32
Coetus studii « De Institutis perfectionis » (Sessio XI)	79
Coetus studii « De Institutis perfectionis » (Sessio XII)	125
Notitiae	175
Opera a Consilii Bibliotheca recepta	176

III
COETUS STUDII
«DE INSTITUTIS PERFECTIONIS»

Sessio XII
(dd. 22-27 nov. 1971 habita)

Diebus 22-27 novembris 1971, in Aula Pontificiae Commissionis Codici Iuris Canonici recognoscendo, Consultores convenerunt Coetus studii « De Institutis perfectionis » sub moderamine Rev.mi P. Bidagor S.I., Secretarii Commissionis. Conventibus intererant R.mus P. Said, O.P., qui munere functus est Relatoris; Exc.mi quattuor, Rev.mi novem atque Ill.mus unus Consultores. Actuarii munere functus est Rev.mus Herranz, a studiis Commissionis. Aberant, quia impediti, duo Rev.mi Consultores.

Ineunte sessione Em.mus Card. Felici, Praeses Commissionis, adstantibus salutem dicit, modo quidem particulari Exc.mo Consultori, a Secretis S.C. pro Religiosis et Institutis saecularibus, qui prima vice nostris adunctionibus convenit invitatus, ut iam antea factum est cum ipsius praedecessore in munere Secretarii Sacrae Congregationis. Deinde Em.mus Praeses rogat Relatorem ut materias exponat de quibus in hac sessione studii discussatio facienda est.

Rev.mus Relator memorat praedictas quaestiones sequentes esse:

1^{am}) « De distributione generali materiae secundae partis schematis, atque de canonibus praeliminaribus primae ac secundae partis »;

2^{am}) « De iure monastico ».

Dein Relator per summa capita exponit quae habentur in pagg. 1-8 Relationis introductivae his actis adnexae (cf. Adnexum I), et quaerit quae-nam sint adstantium sententiae relate ad propositam divisionem legisla-tionis quae inveniri debet in parte secunda seu speciali generalis schematis « De Institutis perfectionis ».

¹ Cf. infra, pp. 151 ss.

I. DE SECUNDA PARTE SCHEMATIS GENERALIS

Prae oculis habitis his quae iam discussa et approbata sunt in praecedentibus sessionibus quoad primam partem schematis, necessarium visum est Parvo Coetui Consultorum pauca immutare in parte secunda, ut Schema generale in omnibus suis partibus melius cohaerentiam et ordinem atque completionem demonstret. Quapropter emendata divisio quae Coetui plenario Consultorum nunc proponitur est sequens:

PARS SECUNDA SEU SPECIALIS

(De iis quae singulis Institutorum generibus sunt propria)

Titulus I: De institutis monasticis

Art. I: De Monachis

Art. II: De Monialibus

Titulus II: De Institutis religiosis operibus apostolatus deditis

Art. I: De Institutis canonicorum

Art. II: De Institutis conventionalibus

Art. III: De Institutis apostolicis

Titulus III: De Institutis apostolicis non religiosis

Titulus IV: De Institutis saecularibus

Titulus V: De vita eremitica

Em.mus Card. Felici censet hanc divisionem modo tantum provisorio approbari posse. Nulla videtur adesse difficultas pro Titulis I, II et V. Titulus III forma magis positiva exarandus est. Sed difficultates magnae habentur pro Titulo IV, de Institutis saecularibus. Hodie enim inveniuntur inter Instituta saecularia plures associationes quae non omnes sunt eiusdem generis; ex his praeterea associationibus, quaedam sunt quae nolunt inveniri in Codice sub legislatione generali Institutorum perfectionis; immo sunt etiam associationes vel melius «coetus spontanei» fidelium quae nolunt approbationem Ecclesiae adhuc expostulare, quia proprium locum nondum inveniunt inter hodiernas formas associativas fidelium a iure canonico statutas, dum alia ex parte nullo modo includi volunt uti appendix quaedam Institutorum perfectionis. His omnibus attentis, Em.mus Praeses suum declarat propositum ut de Institutis saecularibus agatur in speciali commissione

mixta cum Coetu studii «De associationibus fidelium». Hoc tamen fieri debet tempore opportuno, p^rae oculis quoque habitis votis Unionis seu Conferentiae Institutorum Saecularium, quae forsan constituetur.

His dictis accedit Exc.mus primus Consultor qui, ab Em.mo Praeside interpellatus, confirmat Conferentiam Mundialem Moderatorum Institutorum Saecularium iam in stadio praeparationis esse; quae unio, proprio statuto praedita, mense septembri 1972 Romae probabiliter prima vice coadunabitur, ad praecipuas quaestiones generales de Institutis Saecularibus pertractandas. Habetur praeterea specialis Commissio Pontificia pro Institutis Saecularibus, sed agitur tantummodo de commissione studii competentia normativa non praedita, cuius documenta Romano Pontifici in fine submittentur.

Quoad propositam divisionem secundae partis Schematis «De Institutis perfectionis», ipse Exc.mus Consultor eam approbat quoad substantiam; censet praeterea hic inveniri debere, modo exclusivo et limitativo, solas associationes ecclesiasticas quae veram et plenam profitentur vitam consecratam ad praxim consiliorum evangelicorum. Hoc est enim elementum commune omnibus Institutis perfectionis.

Rev.mi Secretarius et Relator respondent hoc quidem esse criterium fundamentale quod Coetus noster secutus est in apparando Schemate generali. Itaque Prima pars huius schematis iam elaborata et approbata est cum generali consensu Consultorum, exceptis tantum canonibus praeeliminaribus de quibus in hac sessione agendum est. Quoad Secundam partem Schematis difficultates quidem adsunt, sive praesertim pro Titulo IV, sive etiam pro Titulo III («De Institutis apostolicis non religiosis»), ubi legislatio ponenda est de hodiernis Societatibus vitae communis; etiam inter has Societas duo genera diversa habentur, ex quibus unum (Instituta nempe missionalia) nolunt sub legislatione generali Institutorum perfectionis inveniri. Eae omnes difficultates, de quibus iam sermo fuit in aliis Coetus sessionibus (praesertim in Sess. VI^a et XI^a), suadere videntur ut labor noster nimis celeriter ne fiat. At tamen ius Institutorum perfectionis — quorum elementa fundamentalia in documentis Concilii Vaticani II clare prostant — apte enucleari potest, quia ipsum non exhaustit diversas alias formas exercendi ius associationis in Ecclesia. Institutiones ergo quae naturam non habeant Institutorum perfectionis proprias normas canonicas invenire debent in alia Codicis parte.

Quoad Titulum IV quaedam aliae habentur observationes.

Exc.mus secundus Consultor notat quod sunt hodie Instituta religiosa apostolica quae progressive assumunt elementa propria Institutorum saecularium; haec tamen imitatio non est bona et damna secumfert sive pro ipsis Institutis religiosis sive pro Institutis saecularibus.

Rev.mus tertius Consultor animadvertisit non omnibus Institutis saecularibus placere eorum dependentiam a Sacra Congregatione pro Religiosis, etiam si fit per sectionem propriam; obiicit tamen Exc. mus primus Consultor pro hac dependentia nullam videri adesse difficultatem quia Instituta saecularia inclusa sunt inter formas professionis consiliorum evangelicorum publice ab Ecclesia recognitas; Rev.mus quartus Consultor memorat varietatem quae habetur, quoad eorum charismata et formas institutionales inter hodierna Instituta saecularia; ad «coetus spontaneos» quod attinet animadvertisit non omnes exoptare ut ipsi iuridice configurentur in vita Ecclesiae.

Quoad Titulum III, Exc.mus quintus Consultor proponit ut dicatur «De aliis Institutis apostolicis», quia etiam inter Institutia religiosa habentur Institutia quae apostolica dicuntur; Rev.mo sexto Consultori magis placet expressio «De societatibus apostolicis», quae locutio invenitur in CICO; Rev.mus septimus Consultor concordat cum his quae dicta sunt a Rev.mo Secretario relate ad Institutia missionalia, et adiungit eorum sodales revera esse sacerdotes saeculares sive incardinationem servant in diocesi sive incardinati sint ipsi societati; Rev.mus quartus Consultor animadvertisit in his Institutis inveniri elementa et exoptata diversa, quaedam enim volunt servare professionem consiliorum evangelicorum, alia vero nolunt hanc professionem habere etsi ipsa modo diverso fit ac in Institutis perfectionis.

His omnibus attentis quae supra dicta sunt, Rev.mi Secretarius et Relator proponunt, et ab omnibus accipitur, ut clarum criterium theologicum sustineatur quod iam in praecedentibus sessionibus probatum fuit, nempe: Institutia vel Societates de quibus in nostro schemate agendum est quibusque applicari debet legislatio generalis Primae Partis eae tantum erunt quae consilia evangelica castitatis, paupertatis et oboedientiae profitentur per vota aut alia sacra ligamina votis propria sua ratione assimilata. Haec est enim professio consiliorum ab Ecclesia recognita, et in hoc quidem constitit fundamentalis ratio essendi legislationis propriae Institutorum perfectionis. Quamobrem institutiones quae hanc naturam propriam Institutorum perfectionis non habeant suum proprium ius invenire debent in alia Codicis parte, ubi de ceteris associationibus agatur.

Quoad Titulum II quaedam fiunt animadversiones generales.

Rev.mus octavus Consultor censet distinctionem inter Articulos II et III (et etiam inter ipsum Titulum II et Titulum III) potius ex natura Institutorum quam ex eorum activitate faciendam esse; Rev.mus nonus Consultor animadvertisit necessariam forsan non esse propositam divisionem in tres Articulos, atque memorat quod obligatio recitationis coralis divini officii reicta est a quibusdam Institutis conventionalibus (obiicit tamen Rev.mus Relator quod si huiusmodi Instituta ita fecerunt, tunc melius es-

set ut transeant ad categoriam de qua sub Art. III ne confusiones habeantur).

Quoad Titulum V, ipse Rev.mus nonus Consultor proponit ut haec materia tractetur in Titulo I, propter relationem quam habet vita eremitica cum vita monastica. Huic propositioni accedit Rev.mus decimus Consultor, qui animadvertisit eremitam per se esse monachum. Etiam Exc.mus primus Consultor censem de vita eremitica agendum esse sub Titulo I, si schema sequatur motum historicum evolutionis vitae consecratae, vel saltem post Titulum III, quia ipsa vita eremitica quamdam connexionem habere potest cum omnibus Institutis de quibus agitur sub Titulis II-III.

Rev.mus quartus Consultor notat distinctionem esse faciendam inter valorem spiritualem et canonicum vitae eremeticae; de personis non fit lex et hic est revera casus eremitae; forsan proponi potest ut fiat Titulus praevius de instituenda vel instauranda vita eremitica.

Denique, Rev.mi Secretarius et undecimus Consultor animadvertisunt, attentis rationibus allatis a Relatore (cf. Adnexum I), quod sumus in iure et ideo per rationes iuridicas procedere debemus; aptius ergo videtur ut, saltem provisorie, de eremitis tractetur in ultimo loco; postea perpendi quoque debet an oporteat omnes formas vitae eremiticae in iure canonico sancire.

His dictis et alii accedunt Consultores.

Deinde Rev.mus Relator sequentes proponit suffragationes:

- 1) utrum divisio secundae Partis schematis in genere placeat;
- 2) utrum placeat modus dicendi propositus: « De iis quae singulis Institutorum generibus sunt propria »;
- 3) utrum placeat ut ponantur « Tituli » loco « Sectiones »;
- 4) utrum placeant Tituli I, IV. et V, uti iacent.

Singulae suffragationes probantur ab omnibus, quapropter sequitur tantum discussio de Titulis II et III.

Rev.mus Relator memorat rationes ob quas Instituta monastica et alia Instituta religiosa in Titulis diversis inveniuntur (cf. Adnexum I). Attamen — concludit Rev.mus — hi duo diversi Tituli ita quoque possunt enuntiari: Tit. I: « De Institutis monasticis »; Tit. II: « De aliis Institutis religiosis ». Animadvertisit vero quod distinctio inter vota solemnia et vota simplicia reliquenda videtur iuri particulari.

Huic divisioni accedunt alii Consultores, inter quos Rev.mus nonus Consultor, qui adiungit Instituta mulierum adesse quae ex regula fere unice ad vitam contemplativam destinantur; attamen non sunt moniales, quia eis desunt vota solemnia, clausura papalis seu maior, etc.; includentur ergo

in Tit. II, quamvis de facto, ex fine specifico non dedicentur operibus apostolicis (non ergo nimis insistendum est in illa ratione apostolatus ad specificanda Instituta).

Exc.mus primus Consultor animadvertisit ex sola consideratione Titulorum I et II, uti ipsi prostant in relatione, intelligi posse ac si in Institutis monasticis omnis possilitas apostolatus excludatur, quod quidem non est mens ipsius relationis. His dictis accedit Exc.mus secundus Consultor, ad cuius mentem omnia Instituta perfectionis quodammodo sunt apostolica; apostolatus ergo non constituit ex se validam rationem specificationis: quod quidem valet etiam ad aptam distinctionem statuendam inter Titulos II et III.

Rev.mus quartus Consultor proponit ut Titulus III supprimatur cum sub unico titulo assumantur, sicuti in Decreto *Perfectae caritatis*, n. 8, omnia Instituta apostolatus operibus dedita, ut eis omnibus (Ordinibus, Congregationibus et Societatibus) unitas vitae inter actionem apostolicam et vitam interiore inculcetur. Insuper Instituta quae vocantur «apostolica», difficulter dici possunt negative «non-religiosa»; quaerunt enim Societas vitae communis ut positive definiantur. Illa Instituta quae vocata sunt in CIC «Societas vitae communis, vitam religiosam imitantes sine votis (publicis)», a S.C. de Religiosis nuper vocata sunt «Societas apostolicae». Omitti potest verbum «religiosum» in «Institutis *religiosis* operibus apostolatus deditis» (Tit. II): nam haec in textu, non in rubrica sunt dicenda. Insuper quid sit «religiosum» difficulter definiri potest, cum in hoc verbo plura implicita remanent quae difficulter praeterquam in iure particulari pro unoquoque Instituto determinari possunt.

Hanc tamen Rev.mi quarti propositionem alii Consultores non admittunt. Rev.mus Relator memorat quod Societas vitae communis seu Societas apostolicae nullo modo volunt ut ponantur una cum Institutis religiosis, etiam propter rationes historicas. Item dicit Rev.mus undecimus Consultor, qui proponit ut Tit. II servetur uti est, dum Tit. III ita sonet: «De aliis Institutis Apostolatui deditis» (ita vitaretur elementum negativum et affirmaretur elementum positivum).

Fit adhuc parva difficultas de Titulis II et III, cuius in fine Rev.mus Secretarius animadvertisit res disputatas facilius invenire solutionem post tractationem ipsius materiae Titulorum. Duo ergo quaesita suffragationi ponuntur, nempe:

- 1) Utrum placeat ita emendare Tit. II ad mentem Exc.mi primi Consultoris: «De Institutis religiosis ex fine proprio operibus apostolatus deditis».

Exitus suffragationis est:

Placet: 6 (primus, secundus, duodecimus, tertius, octavus et nonus Consultores).

Non placet: 8.

2) Utrum Titulus II servari debeat uti iacet («De Institutis religiosis operibus apostolatus deditis»).

Exitus suffragationis est:

Placet: 9.

Non placet: 5 (primus, secundus, duodecimus, octavus et nonus Consultores).

3) Utrum placeat delere in Tit. II distinctionem quae fit in separatis Articulis (iuxta propositionem Rev.mi noni Consultoris).

Exitus suffragationis est:

Placet: 1 (nonus Consultor).

Non placet: 13.

4) Utrum Titulum III ita placeat emendare: «De aliis Institutis apostolatui deditis».

Exitus suffragationis est:

Placet: 9.

Non placet: 4 (duodecimus, tertius, quartus et tertius decimus Consultores).

Divisio ergo Secundae Partis schematis approbatur uti prostat in Annexo II.

Ita finis imponitur disceptationi de hac quaestione; transitus ergo fit ad examen secundae quaestiones propositae.

II. DE CANONIBUS PRAELIMINARIBUS

Suffragatione probata Relatione conclusiva praecedentis Coetus sessionis, formulae canonum proponuntur qui praemittendi videntur Primae Parti Schematis generalis « De Institutis perfectionis ». Hi canones generales, quorum natura et utilitas a Relatore exponuntur (cf. Adnexum I), sunt sequentes:

Can. primus

Textus propositus ita sonat:

§ 1. Instituta perfectionis christifidelium associationes sunt, Spiritu Sancto afflante conditae atque a competenti Ecclesiae auctoritate canonice erectae, quarum sodales, Christum pressius sequentes, per vota aut alia sacra ligamina consilia evangelica castitatis, paupertatis et oboedientiae secundum proprias leges profitentur, ut caritatis perfectionem in servitio Regni Dei consequantur.

§ 2. Status eorum qui in huiusmodi Institutis vitam fraternalm agunt, licet ad Ecclesiae structuram hierarchicam de se non spectet, ad eius tamen vitam et sanctitatem inconcusse pertinent.

§ 3. Ad hunc statum christifideles specialiter a Deo vocantur, alii clerici alii laici, ut in vita Ecclesiae peculiari dono fruantur et, suo quisque modo, eiusdem missioni salvificaे prosint.

Quoad § 1 non placet Rev.mo duedecimo Consultori enumeratio quae hic fit consiliorum evangelicorum. Videtur — ait Rev.mus — quod consilia evangelica ad haec tria reducantur, vel quod haec tria ad essentiam pertineant Institutorum perfectionis: hoc vero in regulis monasticis non habetur.

Haec propositio ab aliis Consultoribus non admittitur. Nemo dubitat — ait Rev.mus Relator — plurima esse consilia evangelica, sed quaestio est alia, nempe: haec tria consilia castitatis, paupertatis et oboedientiae sunt constitutiva Institutorum perfectionis, et hoc propter probatas rationes theologicas et iuridicas quae inveniuntur cum in traditione Ecclesiae tum in recentissimis documentis Magisterii.

Exc.mus primus Consultor adiungit quod etiam benedictina professio intellegitur facta cum implicita professione trium consiliorum et eadem realitas habetur in omni professione monacali.

His dictis accedunt Rev.mi undecimus, quartus et alii Consultores, qui memorant enumerationem trium consiliorum factam semper esse in documentis Concilii Vaticani II, a documentis praeparatoriis usque ad documenta promulgata quae respiciunt Instituta perfectionis. In nostro labore — aiunt Rev.mi — accurate sequi debemus Magisterium Concilii; insuper sumus in re canonica, ideoque necessarium omnino appetit ut tria consilia evangelica specificentur quorum professio, ab auctoritate ecclesiastica recognita, factum constituit in quo nititur ipsa iuridica figura Institutorum perfectionis. Nostra insuper legislatio non potest abstrahi a legislatione praecedenti: si enim enumeratio consiliorum expungatur an-

sa praeberetur erroneis interpretationibus circa naturam, vitam et ius Institutorum perfectionis.

Rev.mus duodecimus Consultor accedit ut mentio explicita fiat trium consiliorum evangelicorum, sed quaerit ut haec specificatio non ponatur in can. 1. Forsan mutari potest ordo canonum, ita ut can. 2, qui generice agit de consiliis evangelicis, fiat can. 1; hic vero canon, ubi iam in concreto agitur de Institutis, fiat can. 2. Hic ordo esset magis theologicus. Postulat insuper Rev.mus ut non disperdantur elementa theologica magni momenti, quae habentur sub formulis canonis 1 in prima et secunda Coetus sessionibus probatis. Huic postremae animadversioni accedit Exc.mus secundus Consultor, qui quaerit ut serventur, si fieri possit, expressiones quae in memorato primo canone inveniebantur nempe: «in salutem mundi Ecclesiaeque aedificationem» et «gloriam Regni coelestis praenuntians». Respondet Rev.mus Relator quod nova redactio can. 1 ita facta est ut, servatis elementis fundamentalibus primi textus, canon applicetur omnibus Institutis perfectionis, non tantum Institutis religiosis; alia vero elementa non in can. 1 sed in aliis canonibus inveniri debent.

Quoad criteria in quibus nitor proposita mutatio ordinis cann. 1-2, notant Rev.mi Secretarius et Relator necessitatem incipiendi tractationem iuridico modo, idest a notione Institutorum perfectionis, in quibus tria fundamentalia consilia evangelica sociali forma servantur.

Concilium Vaticanum II — ait Rev.mus tertius decimus Consultor — revera docuit omnia consilia evangelica omnibus fidelibus proposita esse, ideoque praxis consiliorum vel saltem eorum spiritus inveniri potest in vita christiana cuiuscumque baptizati; iamvero in nostro schemate non agitur de hac re, utpote obiectum huius partis legislationis canonicae sint Instituta perfectionis, ubi nempe consilia evangelica castitatis, paupertatis et oboedientiae servantur modo publico et institutionali, idest iuxta normas etiam iuridicas et stabiles ab auctoritate Ecclesiae sancitas.

His dictis accedunt et alii Consultores, inter quos Rev.mus quartus, qui adiungit distinctionem prae oculis semper habendam esse inter consilia evangelica, intellecta sicuti semina divina quae fructus spirituales dare possunt in vita omnium fidelium, et professionem consiliorum evangelicorum modo comunitario et iuridice ordinato; hoc vero supponit speciale donum Dei seu specificam vocationem ad professionem seu proxim socialem consiliorum evangelicorum, quod tantum datur iuxta stabiles vivendi formas quae Instituta perfectionis appellantur.

Rev.mus nonus Consultor, qui laudat expressionem adhibitam in § 1, lin. 4, nempe «per vota aut alia sacra ligamina», animadvertisit quod, post Instructionem *Renovationis causam*, possunt etiam haberi vincula alias ge-

neris, perdurante novitiatu et, in quibusdam particularibus casibus, perdurante incorporatione temporanea. Respondeat tamen Rev.mus Relator, et huic responsioni accedit Rev.mus nonus Consultor, quod haec possilia vincula non sacra admittuntur tantum tempore praeparationis candidati ad incorporationem definitivam in Instituto; sunt ergo vincula sacra illa quae habent veram naturam constitutivam Institutorum perfectionis.

Proponit Exc.mus primus Consultor, cui accedit Rev.mus duodecimus, ut lin. 5 ipsius § 1 dicatur: «castitatis *Deo dicatae*», ut bene intellegatur textus, quia virtus castitatis habetur etiam in matrimonio. Respondent Rev.mi Relator et undecimus Consultor hanc additionem non esse necessariam; iam enim bene subintelligitur hic agi de perfecta continentia propter Regnum coelorum, seu de consilio evangelico perfectae castitatis voto aut alio sacro ligamine iuridice firmato.

Postulat denique Rev.mus nonus Consultor, cui accedunt alii ut loco «secundum proprias leges profitentur» dicatur «secundum proprias leges publice profitentur». Animadvertisit tamen Rev.mus Secretarius hanc additionem non esse necessariam; iam enim subintelligitur hanc professionem fieri iuxta normas ab auctoritate ecclesiastica probatas; insuper est ipsa auctoritas Ecclesiae quae uno vel alio modo hanc professionem recipit; ita denique vitatur ut per verbum «publicum» excludantur vincula sacra characteris «semipublici» seu «socialis», quae habentur in Societatibus vitae communis et in Institutis saecularibus.

Post hoc, et cum iam sufficienter discussa videatur § 1 canonis propositi, Rev.mus Secretarius quaerit ut suffragetur textus, iuxta sequentem quaesitum: «Utrum § 1 can. 1 in genere placeat».

Exitus suffragationis est:

Placet: 9.

Placet iuxta modum: 5 (secundus, quintus, duodecimus, sextus et nonus Consultores).

Transitus ergo fit ad propositionem et suffragationem modorum, qui sunt sequentes:

1) Loco «secundum proprias leges» dicatur «secundum propria statuta»:

Placet: 5.

Non placet: 6.

Abstinentes: 3.

Textus ergo manet uti est.

2) Compleantur verba: « ... ut caritatis perfectionem in servitio Regni Dei ‘*atque in salutem mundi Ecclesiaeque aedificationem*’ consequantur».

Placet: 3.

Non placet: 10.

Abstinentes: 1.

Textus ergo manet ut iacet.

3) Mutetur ordo verborum, ita ut dicatur: «Instituta perfectionis associationes sunt christifidelium»:

Placet: 5.

Non placet: 8.

Abstinentes: 1.

Textus manet ut est.

Rev.mus decimus, cui accedunt Exc.mus primus et Rev.mus duodecimus Consultores, proponit ut, ad significandam totalem Deo consecrationem, reassumantur ex can. 1, 2^{ae} sessionis, verba «Deo summe dilecto totaliter mancipantur». Propositio etiam aliis Consultoribus placet, sed quaedam mutationes postulantur: «consecrantur» loco «mancipantur» (quartus Consultor) «... ut, Deo summe dilecto totaliter consecrati, caritatis perfectionem...» (undecimus Consultor). Haec ultima formula omnibus placet.

Rev.mus duodecimus Consultor denuo proponit questionem de mutatione ordinis priorum canonum schematis, ita ut in can. 1 quaestio fiat de totali Deo consecratione atque de valore escatologico («gloriam Regni coelestis praenuntians») quem haec consecratio secumfert. Etiam Exc.mus primus Consultor quaerit ut perpendatur si possibile sit aptiorem ordinem invenire pro canonibus 1-4, ita ut successio idearum melius exprimi possit.

Haec propositio de mutatione ordinis suffragationi submittitur, et hic est suffragationis exitus:

Placet: 5 (primus, secundus, duodecimus, decimus et nonus Consultores).

Non placet: 3 (Relator atque undecimus et quartus Consultores).

Abstinentes: 6 (quartus decimus, quintus, tertius, octavus et tertius decimus Consultores atque Secretarius).

Rev.mus undecimus Consultor proponit ut quinque Consultores quibus propositio placet novum ordinem canonum formulent.

Exc.mus primus Consultor animadvertisit quod non agitur de novo tex-
tu canonum apparando sed tantum de ipsa materia novo ordine disponen-
da. Respondet tamen Rev.mus undecimus Consultor quaestionem non es-
se tantum formalem sed substantiale, quia decidendum est utrum tracta-
tio materiae incipere debeat per Instituta an per consilia evangelica.

Cum hac affirmatione concordat Rev.mus duodecimus Consultor.
Ipse, cui accedit Rev.mus decimus Consultor, denuo animadvertisit quod in
formula can. 1 nunc propositi desunt elmenta theologica magni momenti
quae inveniebantur in can. 1 prioribus Coetus sessionibus probato.

Fit adhuc parva discussio de hac quaestione, in qua repetuntur rationes
iam antea allatae, sive a Rev.mo duodecimo Consultore ex una parte sive,
ex alia parte, a Rev.mo Relatore. Denique suffragationi submittitur sequens
propositio: «An placeat de can. 1 Sessionis 2^{ae} totam substantiam sumere
in novo can. 1 canonum praeliminarium».

Exitus suffragationis est:

Placet: 4 (secundus, duodecimus, tertius et decimus Consultores).

Non placet: 9 (quartus decimus, quintus, sextus, undecimus, octa-
vus, nonus et quartus Consultores, atque Relator).

Abstentiones: 2 (Secretarius et quintus decimus Consultor).

Nisus tamen fit ad concordandas diversas sententias in discussione pro-
latas; duo enim nova schemata cann. 1-4 proponuntur, quae ita sonant:

SCHEMA A

Can. primus

§ 1. Status eorum, qui consilia evangelica castitatis, paupertatis et
oboedientiae per vota aut alia sacra ligamina profitentur, est stabilis vivendi
forma ab Ecclesia probata qua fideles, Christum pressius sequentes, Deo
summe dilecto totaliter consecrantur, ita ut ad Dei honorem et servitium
atque in salutem mundi Ecclesiaeque aedificationem novo et peculiari titu-
lo referantur et caritatis perfectionem persequantur.

§ 2. Status huiusmodi, qui praeclarum sanctitatis Ecclesiae signum
constituit (qui praeclarum signum in Ecclesia constituit) gloriam Regni
coelestis praenuntians, licet ad eiusdem Ecclesiae structuram hierarchicam
de se non spectet, ad eius tamen vitam et sanctitatem inconcusse pertinet
atque ideo ab ipsa enixe commendatur et fovetur.

§ 3. Ad hunc statum, qui inter clericalem et laicalem conditionem in-

termedius non est, quidam fideles a Deo specialiter vocantur ex utraque parte (ut, suo quisque modo, missioni salvificae Ecclesiae prosint).

Can. secundus

Consilia evangelica, quibus perfectio caritatis erga Deum et proximum singulariter fovetur, utpote in verbis et exemplis Domini fundata, donum sunt divinum, quod Ecclesia a Domino suo accepit et gratia eius semper conservat.

Can. tertius

Ad competentem igitur Ecclesiae auctoritatem unice spectat: canonice erigere Instituta perfectionis seu fidelium associatione, Spiritu Sancto a flante conditas, in quibus sodales consilia evangelica secundum proprias associationum leges profitentur et vitam fraternalm agunt; praxim eorundem consiliorum (necessaria actione) sapienter moderari; leges praedictas ad normam iuris approbare eademque Instituta vigilanti cura custodire (et materna sollicitudine promovere).

Can. quartus

Vivendi ratio eorum, qui in Institutis perfectionis consilia evangelica profitentur (Christum sequuntur), quamvis renuntiationem secumferat bonorum quae magni aestimanda sunt (veniunt), personae humanae profectui non obstat, sed natura sua eidem summopere prodest. Ita pariter ea (consilia) profitentes, quin ab hominibus alieni fiant, immo cum eis spiritualiter cooperantur ut etiam terrena civitas semper in Domino fundetur ad ipsumque dirigatur.

(Vel § 2 canonis tertii schematis antea propositi uti iacet) (Relator).

SCHEMA B

I

«§ 1. Vita per consiliorum evangelicorum professionem consecrata stabilis est vivendi forma qua christifideles Christum pressius sequentes Deo summe dilecto totaliter consecrantur ut in Eius honorem atque mundi salutem Ecclesiaeque aedificationem novo et peculiari titulo dediti, caritatis perfectionem in servitio Regni Dei consequantur et praclarum Sanc titatis in Ecclesia signum effecti gloriam Regni coelestis praenuntient.

§ 2. Quam vitam in Institutis perfectionis, Spiritu Sancto afflante, conditis et a competenti Ecclesiae auctoritate canonice erectis, libere assument christifideles qui per vota aliaque sacra ligamina consilia evangelica castitatis, paupertatis et oboedientiae iuxta proprias leges servanda profinentur et per caritatem ad quam ducunt Ecclesiae eiusque mysterio speciali modo coniunguntur.

II

§ 3. Status eorum qui in huiusmodi Institutis vitam fraternalm agunt, licet ad Ecclesiae structuram hierarchicam de se non spectet, ad eius tamen vitam et sanctitatem inconcusse pertinet.

§ 4. Ad hunc vitae consecratae statum christifideles sive clerici sive laici specialiter a Deo vocantur ut in vita Ecclesiae peculiari dono fruantur, et suo quisque modo eiusdem missioni salvificaee prosint.

III

§ 1. Consilia evangelica in verbis et exemplis Domini fundata, donum sunt divinum quod Ecclesia a Domino suo accepit et gratia eius semper conservat.

§ 2. Ad auctoritatem Ecclesiae spectat, duce Spiritu Sancto, haec consilia interpretari eorumque proxim sapienter moderari, propria Institutorum statuta approbare eademque Instituta vigilanti cura adiuvare.

IV

§ 1. Consiliorum evangelicorum professione fideles Christo et corpori eius quod est Ecclesia magis in dies vivant. Quo enim ferventius ea iuxta propriam Instituti indolem amplectantur eo uberior fiet vita Ecclesiae et apostolatus eius fecundior.

§ 2. Quae consiliorum professio, quamvis renuntiationem secumferat bonorum quae magni aestimanda veniunt, personae humanae profectui non obstat sed natura sua eidem summopere prodest. Vi huius consecrationis Institutorum sodales ab hominibus alieni non fiunt sed cum eis spiritualiter cooperantur ut etiam terrena civitas semper in Domino fundetur ad ipsumque dirigatur.

V

§ 1. Institutorum perfectionis sodales Christi Sponsam condecorant omnibusque hominibus generosa ac diversissima praestant servitia. Idcirco

magni facit Ecclesia eorum genus vitae virginalis, pauperis et oboedientis cuius Ipse Christus Dominus exemplar est.

§ 2. Ipsi caritate erga Deum et homines impulsi Christi bonum nuntium in mundo diffundant ut testimonium eorum ab omnibus conspiciantur et Pater noster qui in coelis est glorificetur».

(Quartus Consultor)

* * *

Maiori parti Consultorum (8) placet ut schema A sumatur ad incipendum examen canonum. Alii vero magis exoptant ut in § 1 can. 1 sermo fiat de Institutis, deinde, in § 2, de statu (undecimus, cui accedunt quartus decimus, octavus et nonus Consultores).

Rev.mus Relator proponit ut ex § 1 can. 1 (schematis A) una cum § 2 can. 1 (schematis B) fiat unus canon, qui satisfacere possit omnibus Consultoribus. Haec propositio ab omnibus probatur. Attamen, antequam haec nova redactio fiat, examini subiicitur § 1 can. 1 (schematis A).

Quaeritur imprimis a Relatore an servandum sit verbum «status». Pleisque Consultores (10 ex 14) praeoptant ut hoc verbum substituatur verbo «vita». Animadvertisunt tamen quartus decimus, secundus et tertius decimus Consultores quod hic non agitur de vita eorum qui privato modo consilia evangelica colunt ac vivunt, sed de vita consecrata, seu stabili forma consilia evangelica profitendi (Secretarius, Relator, undecimus Consultor et alii). Fit in hoc sensu suffragatio, et omnibus placet ut adhibeatur expressio «vita consecrata».

Ipse Relator, cui accedit Rev.mus duodecimus Consultor, proponit ut mentio specifica consiliorum fiat non in § 1 sed in § 2 ipsius can. 1.

Quaeritur a Rev.mo duodecimo Consultore ut in § 1 vel in alia eiusdem can. 1 aliquo modo significetur adspectus escatologicus vitae consecratae.

Quoad §§ 2-3 can. 1 (schematis A) notatur ipsas substantialiter continere ideas quae inveniuntur in §§ 2-3 can. 1 relationis introductivae. Quapropter suffragationi submittitur, et approbat, ut ex duabus supradictis paragraphis fiat can. 2 canonum praeliminarium.

Quidam modi adhuc proponuntur ad diversas paragraphos: dicatur in § 3 «sive clerici sive laici» loco «alii clerici alii laici» (quartus decimus Consultor); aptius ponatur in ipsa § 3 «Ad hunc vitae consecratae statum» (Relator).

Ut melius autem et ordinatim procedere possit discussio singulorum canonum, Rev.mus Secretarius postulat ab auctoribus schematum A et B,

ut collatis consiliis atque prae oculis habitis quae hucusque dicta sunt, tex-tum unicum apparent canonum praeliminarium.

Tempus utile datur ad hunc textum exarandum, et haec est nova cano-num redactio quae proponitur:

Can. primus

§ 1. Vita per consiliorum evangelicorum professionem consecrata est stabilis vivendi forma qua fideles Christum pressius sequentes Deo summe dilecto totaliter dedicantur (*vel: stabilis vivendi forma per consiliorum evangelicorum professionem constituta, fideles Christum pressius sequuntur et Deo summe dilecto totaliter consecrantur*), ut in Eius honorem atque mundi salutem Ecclesiaeque aedificationem novo et peculiari titulo dediti, caritatis perfectionem in servitio Regni Dei consequantur et praeclarum in Ecclesia signum effecti coelestem gloriam praenuntient.

§ 2. Quam vitam (vivendi formam) in Institutis perfectionis, Spiritu Sancto afflante conditis et a competenti Ecclesiae auctoritate canonice erectis, libere assumunt christifideles, qui per vota aut alia sacra ligamina consilia evangelica castitatis, paupertatis et oboedientiae iuxta proprias leges servanda consociati profitentur et per caritatem, ad quam ducunt, Ecclesiae eiusque mysterio speciali modo coniunguntur.

Can. secundus (approbatus)

§ 1. Status eorum qui in huiusmodi Institutis vitam fraternalm agunt, licet ad Ecclesiae structuram hierarchicam de se non spectet, ad eius tamen vi-tam et sanctitatem pertinet (et ideo ab ipsa enixe commendatur et fovetur).

§ 2. Ad hunc vitae consecratae statum christifideles, sive clerici sive laici, specialiter a Deo vocantur ut in vita Ecclesiae peculiari dono fruantur et, suo quisque modo, eiusdem missioni salvificae prosint.

Can. tertius

§ 1. Consilia evangelica in divini Magistri doctrina et exemplis funda-ta, donum sunt divinum quod Ecclesia a Deo accepit et gratia eius semper conservat.

§ 2. Ad Ecclesiae auctoritatem spectat, duce Spiritu Sancto, haec consilia interpretari, eorum praxim sapienter moderari, propria Institutorum statuta ad normam iuris approbare eademque Instituta vigilanti cura adiu-vare et assidua sollicitudine promovere.

Can. quartus

Consiliorum evangelicorum professio, quamvis renuntiationem secumferat bonorum quae magni aestimanda veniunt, personae humanae profectui non obstat, sed natura sua eidem summopere prodest. Vi enim huius consecrationis Institutorum sodales ab hominibus minime alieni fiunt sed cum eis spiritualiter cooperantur, ut etiam terrena civitas semper in Domino fundetur ad ipsumque dirigatur.

Can. quintus

Institutorum sodales non tantum Christi Sponsam condecorant sed hominibus generosa et varia praestant servitia. Ipsi, caritate erga Deum et homines impulsi, Evangelicum nuntium in mundum diffundunt ut Christo testimonium reddant et Pater qui in coelis est glorificetur.

Schema hoc in genere placet, ideoque singuli canones successive proponuntur et perpenduntur. Animadversiones quae fiunt a Consultoribus sunt sequentes:

Ad can. primum

Quoad § 1, quaerit Rev.mus Relator quaenam ex duabus formulis propositis pro prima parte paragraphi magis placeat Consultoribus. Ex istis tamen duo (Exc.mus quartus decimus ac Rev.mus nonus Consultores) duas novas formulas proponunt quae ita sonant:

«Ab Ecclesia commendatur et fovetur vita per professionem consiliorum evangelicorum consecratam, seu stabilis vivendi forma qua fideles Christum pressius sequentes Deo summe dilecto totaliter dedicantur, ut...» (quartus decimus Consultor).

«Vita per consiliorum evangelicorum professionem consecrata, qua fideles Christum pressius sequentes Deo summe dilecto totaliter dedicantur ut in Eius honorem atque mundi salutem Ecclesiaeque aedificationem... (sequitur textus propositus)... consegnantur, est praeciarum in Ecclesia signum atque coelestem gloriam praenuntiat» (nonus Consultor).

Eae quattuor formulae successive leguntur et, facta suffragatione, maior pars Consultorum (8 ex 14) praeoptat primum textum in canone propositum, nempe:

«Vita per consiliorum evangelicorum professionem consecrata est stabilis vivendi forma qua fideles Christum pressius sequentes Deo summe dilecto totaliter dedicantur, ut...».

Ad secundam partem § 1 nulla fit animadversio. Dubitatur tantum an loco «in Eius honorem» aptius dici possit «in Eius honore»; et loco «dediti» alia adhibenda sit expressio uti «vocati» vel «mancipati» aut «dicati». Res tamen relinquuntur latinistae.

Quoad § 2, Exc. mus primus Consultor et Rev.mus Relator proponunt et accipitur, claritatis textus causa, ut lin. 3-4 ita emendentur: «...ligamina, iuxta proprias Institutorum leges, consilia evangelica castitatis, paupertatis et oboedientiae servanda consociati profitentur...».

Placet etiam, proponente Relatore, ut in initio huius § 2 sumantur verba quae inter uncos sunt posita, ideoque textus ita sonat: «Quam vivendi formam, in Institutis perfectionis...». Magis placeret Rev.mo tertio decimo Consultori si dicatur: «Quam vitam, praeter eremita, in Institutis perfectionis...». Respondet tamen Exc.mus primus Consultor quod excludi non debet ut vita eremitica aliqua institutione a legislatione ecclesiastica donetur, et quidem in ambitu legislationis Institutorum perfectionis; de facto, sunt iam quaedam Instituta eremitarum sub Episcopis posita.

Denique, proponente Rev.mo nono Consultore, recipit ur haec emendatio in textu lin. 6-7: «...caritatem, ad quam eadem ducunt...».

Textus ergo huius can. 1 ita suffragationi submittitur et approbatur:

«§ 1. Vita per consiliorum evangelicorum professionem consecrata est stabilis vivendi forma qua fideles Christum pressius sequentes Deo summe dilecto totaliter dedicantur, ut in Eius honorem atque mundi salutem Ecclesiaeque aedificationem novo et peculiari titulo dediti, caritatis perfectio nem in servitio Regni Dei consequantur et praeclarum in Ecclesia signum effecti coelestem gloriam praenuntient.

§ 2. Quam vivendi formam in Institutis perfectionis, Spiritu Sancto afflante conditis et a competenti Ecclesiae auctoritate canonice erectis, libere assumunt christifideles, qui per vota aut alia sacra ligamina, iuxta proprias Institutorum leges, consilia evangelica castitatis, paupertatis et oboedientiae servanda consociati profitentur et per caritatem, ad quam eadem ducunt, Ecclesiae eiusque mysterio speciali modo coniunguntur».

Ad can. secundum

Animadvertisit Rev.mus nonus Consultor quod in § 1, lin. 2, addita sunt verba «de se», quae non habentur in textu Const. *Lumen gentium* (n. 44), ex quo haec expressio desumpta est. Respondet tamen Rev.mus quartus Consultor quandoque hanc pertinentiam ad structuram Ecclesiae hierarchicam dari posse, in casu nempe Abbatiarum; Abbas est Ordinarius, et sunt Abbates qui iure membra sunt Conferentiarum Episcopalium.

Rev.mo decimo Consultori non placet locutio «suo quisque modo» (§ 2, lin. 3), quia de omnibus christifidelibus dici potest eos «suo quisque modo» missione salvifica Ecclesiae prodesse. Textus tamen manet uti est, quia — uti notat Rev.mus Relator — per haec verba significatur modus proprius uniuscuiusque Instituti.

Nulla alia animadversio fit, ideoque textus huius canonis probatur si-
cuti est propositus, nempe:

«§ 1. Status eorum qui in huiusmodi Institutis vitam fraternalm agunt, licer ad Ecclesiae structuram hierarchicam de se non spectet, ad eius tamen vitam et sanctitatem pertinet (et ideo ab ipsa enixe commen-
datur et foveatur).

§ 2. Ad hunc vitae consecratae statum christifideles, sive clerici sive laici, specialiter a Deo vocantur ut in vita Ecclesiae peculiari dono fruantur et, suo quisque modo, eiusdem missione salvificaे prosint».

Ad can. tertium

Quoad § 1, et ut vitentur repetitiones, placet ut ita emendetur textus ad mentem Exc.mi quarti decimi et Rev.mi quarti Consultorum: «Consilia evangelica in Christi Magistri doctrina et exemplis fundata, donum sunt divinum quod Ecclesia a Domino accepit...».

Quoad § 2, Rev.mi Secretarius et undecimus Consultor postulant ut, in lin. 3, deleantur verba «ad normam iuris», quia videntur non necessaria. Si enim auctoritas ecclesiastica approbat, ad normam iuris evidenter procedit; praeterea in can. 2 canonum praeleminarium 2^{ae} partis schematis iam de hac approbatione sermo erit, et quidem modo accommodato prae-
scriptis M.P. *Ecclesiae Sanctae*. Propositio a Consultoribus recipitur.

Exc.mus quintus Consultor proponit ut deleantur, quia superflua in hoc contextu iuridico videntur, verba «duce Spiritu Sancto» (lin. 1). Ani-
madversio autem non admittitur, quia — uti memorat Relator — haec sunt verba quae inveniuntur in n. 44 Const. *Lumen gentium*, quae de ea-
dem re agit in contextu non tantum theologico sed etiam iuridico. Consultoribus e contra placet alia propositio Exc.mi, nempe ut expungantur in fi-
ne huius paragraphi verba «assidua sollicitudine»; proponente Rev.mo un-
decimo Consultore, textus ita emendatur: «... eademque Instituta sollicita
cura adiuvare et promovere».

Exc.mus secundus Consultor difficultatem movet contra verbum «in-
terpretari» relate ad consilia evangelica. Respondent Rev.mi Relator et quartus Consultor quod revera auctoritas Ecclesiae non tantum eadem

consilia accepit et servat sed etiam interpretatur, quandoque modo auctoritativo, ex. gr. quoad paupertatem.

Obiicit Rev.mus decimus Consultor aptius esse dicere «... consilia annuntiare et interpretari», quia Ecclesia Evangelium ideoque consilia evangelica annuntiat. Respondent ipsi Rev.mi Relator et quartus Consultor quod haec interpretatio de qua agitur in canone est interpretatio doctrinalis, quae quidem comprehendit etiam nuntium consiliorum; insuper in § 1 iam dictum est Ecclesiam ad exemplum Christi Magistri consilia conservare, ideoque et consilia nuntiat et docet. Fit autem suffragatio de hoc modo a Rev.mo decimo Consultore proposito et hic est exitus suffragationis:

Placet: 2.

Non placet: 11.

Abstentiones: 1.

Denique Exc.mus quintus Consultor postulat ut in lin. 2 deleatur verbum «sapienter». Fit quoque suffragatio cuius exitus est:

Placet: 3.

Non placet: 11.

Nulla alia animadversio fit, ideoque textus huius can. 3 ita manet approbatus:

«§ 1. Consilia evangelica in Christi Magistri doctrina et exemplis fundata, donum sunt divinum quod Ecclesia a Domino accepit et gratia eius semper conservat.

§ 2. Ad Ecclesiae auctoritatem spectat, duce Spiritu Sancto, haec consilia interpretari, eorum praxim sapienter moderari, propria Institutorum statuta approbare eademque Instituta sollicita cura adiuvare et promovere».

Ad cann. quartum et quintum

Animadvertisit imprimis Rev.mus Relator quod hi duo canones forsitan in unum confluere possint, ratione materiae. Huic propositioni accedunt Secretarius, Exc.mus quintus et alii Consultores qui postulant etiam ut simplificetur redactio, et textus fiat magis iuridicus absque nimis exhortationibus.

Exc.mus primus Consultor quaerit haec addatur idea, nempe unio cum Deo longe superat valorem earum rerum quae in Institutis perfectio-
nis renuntiantur.

Diversa materiae distributio postulatur ab Ill.mo quinto decimo Consultore ita ut varii modi cooperandi cum hominibus aptiore forma elucescant.

Ad modum exempli, Ill.mus hanc novam proponit redactionem:

«§ 1. Consiliorum evangelicorum professio (...) summopere prodest. Vi enim huius consecrationis Institutorum sodales ab hominibus minime alieni fiunt sed cum eis spiritualiter cooperantur Evangelicum nuntium diffundentes ut... (...).

§ 2. Institutorum sodales non tantum Christi Sponsam condecorant sed hominibus generosa et varia praestant servitia, ut etiam terrena civitas semper in Domino fundetur ad ipsumque dirigatur».

Cum hac propositione substantialiter concordant alii Consultores. At tamen, postulante Exc.mo quarto decimo Consultore, placet ut tota materia duorum canonum in tres paragraphos unius canonis exponatur.

Attentis quae dicta sunt, sequens formula proponitur a Rev.mo Relatore:

«§ 1. Consiliorum evangelicorum professio, quamvis renuntiationem secumferat bonorum quae magni aestimanda veniunt, personae humanae profectui non obstat, sed natura sua eidem summopere prodest.

§ 2. Institutorum sodales ab hominibus minime alieni fiunt sed cum eis spiritualiter cooperantur Evangelicum nuntium in mundo diffundentes, ut Christo testimonium reddant et Pater qui in coelis est glorificetur.

§ 3. Ipsi caritate erga Deum et homines impulsi non tantum Christi Sponsam condecorant sed cum hominibus collaborant generosa et varia servitia praestantes, ut etiam terrena civitas semper in Domino fundetur ad ipsumque dirigatur».

Facta suffragatione, divisio materiae huius canonis (can. 4) omnibus placet quoad substantiam. Ad singulas autem paragraphos hae fiunt animadversiones particulares:

Ad § 1. Quaerit Exc.mus secundus Consultor, cui accedit Ill.mus quintus decimus, ut deleatur verbum «summopere»; alii tamen, inter quos Rev.mi Relator et quartus Consultor, animadvertunt hanc expressionem inveniri in Const. *Lumen gentium*, n. 46.

Fit ergo suffragatio cuius exitus est:

Placet ut verbum hoc retineatur: 9.

Non placet: 5.

Abstentiones: 1 (primus Consultor).

Exc.mus primus Consultor proponit ut dicatur «summopere prodesse valet», quia in Const. *Lumen gentium* verbum «summopere» recte intelligitur, sensu nempe theologico. Obiicit Rev.mus quartus Consultor quod iam dicitur «natura sua», et ita vitari possunt dubitationes quae a quibusdam moventur, propter rationes historicas plus minusve logicas. Intercedit in disceptatione Rev.mus duodecimus Consultor, qui proponit, ad mentem eiusdem textus Const. *Lumen gentium*, ut ita exaretur formula: «...personae humanae *vero* profectui non obstat, sed natura sua ‘eidem summopere prodest’». Haec propositio suffragatur et omnibus placet.

Ad § 2. Animadvertisit Rev.mus quartus Consultor quod in textu conciliari ex quo sumitur proposita formula, sermo specificus fit de contemplatibus dum haec non est mens nostri canonis; proponit ergo ut dicatur: «...cooperentur, ut etiam terrena civitas semper in Domino fundetur ad ipsumque dirigatur». Huic propositioni accedit Exc.mus primus Consultor, sed non placet Ill.mo quinto decimo Consultori.

Fit adhuc parva discussio, cuius in fine hic novus textus can. 4 a Rev.mis Relatore et quarto Consultore proponitur:

«§ 1. Consiliorum evangelicorum professio, quamvis renuntiationem secumferat bonorum quae magni aestimanda veniunt, personae humanae *vero* profectui non obstat, sed natura sua eidem summopere prodest.

§ 2. Qui consilia evangelica profitentur, consecratione sua, neque ab hominibus alieni neque in civitate terrestri inutiles fiunt, etsi quandoque coaetaneis suis directe non assistunt, cum eis spiritualiter semper cooperantur, sive oratione et sacrificio sive evangelicum nuntium diffundendo.

§ 3. Qui autem hominibus generosa et varia praestant servitia cum hominibus collaborantes aedificationem etiam terrenae civitatis in Dominum dirigunt, Christo testimonium reddentes, ut Pater coelestis in omnibus glorificetur».

Paragraphus 1 ab omnibus recipitur quia iam antea approbata fuit.

Ad § 2, Exc.mus primus Consultor proponit, et suffragatione unanimiter recipitur, ut dempto verbo «semper» ita emendetur textus: «...cum eis *tamen* spiritualiter cooperantur...».

Ad § 3, postulant Rev.mi sextus et quartus Consultores ut deleantur verba «cum hominibus collaborantes», quia necessaria non videntur; propositio recipitur.

Quaedam aliae emendationes postulantur, nempe: loco «generosa et

varia praestant servitia», dicatur «alia generose praestant servitia» (nonus Consultor); loco «aedificationem etiam terrenae civitatis», dicatur «aedificationem terrenae quoque civitatis» (primus Consultor); loco «in Dominum dirigunt», dicatur «ad Dominum dirigentes» (nonus Consultor).

His omnibus attentis, Rev.mus undecimus Consultor sequentem proponit textum, qui, suffragatione facta, ab omnibus recipitur:

«Omnes vero, etiam qui hominibus alia generose praestant servitia, aedificationem terrenae quoque civitatis ad Dominum dirigentes, Christo testimonium reddunt, ut Pater coelestis in omnibus glorificetur».

Hic ergo can. 4 ita manet approbatus:

«§ 1. Consiliorum evangelicorum professio, quamvis renuntiationem secumferat bonorum quae magni aestimanda veniunt, personae humanae vero profectui non obstat, sed natura sua eidem summopere prodest.

§ 2. Qui consilia evangelica profitentur, consecratione sua, neque ab hominibus alieni neque in civitate terrestri inutiles fiunt, etsi quandoque coaetaneis suis directe non assistunt, cum eis tamen spiritualiter cooperantur, sive oratione et sacrificio sive evangelicum nuntium diffundendo.

§ 3. Omnes, vero, etiam qui hominibus alia generose praestant servitia, aedificationem terrenae quoque civitatis ad Dominum dirigentes, Christo testimonium reddunt, ut Pater coelestis in omnibus glorificetur».

Ad can. quintum

Reditus fit ad formulas canonum in relatione introductiva propositas (cf. Adnexum I).

Textus qui proponitur est sequens:

«§ 1. Institutum clericale dicitur quod, vi iuris particularis, specialem persequitur finem exercitium ordinis sacri munerum secumferentem, quodque uti tale ab Ecclesiae auctoritate agnoscitur.

§ 2. Institutum dicitur iuris pontificii quod ab Apostolica Sede aut erectum aut per speciale decretum approbatum est; iuris vero dioecesani dicitur quod ab Episcopo dioecesano ad normam iuris erectum, huiusmodi approbationis decretum ab Apostolica Sede nondum est consecutum».

Quoad § 1. Quidam Consultores, inter quos Exc.mus quartus decimus et Rev.mus nonus, notant non omnia haec Instituta tanquam finem specialem habere exercitium ordinis sacri.

Hac attenta animadversione, nova redactio huius § 1 proponitur a Rev.mis undecimo et quarto Consultoribus, nempe:

«Institutum clericale dicitur quod, vi iuris particularis, exercitium ordinis sacri assumit, et uti tale ab Ecclesiae auctoritate agnoscitur».

Hic textus ab omnibus accipitur. Placet quoque ut de Instituto «laicali» vel «non-clericali» definitio non fiat; quod tamen praiejudicare non intendit normam iuris monastici iuxta quam Institutum monasticum per se nec clericale nec laicale est.

Quoad § 2, postulat Rev.mus quartus Consultor ut deleatur expressio «per speciale decretum», quae ansam praebere potest difficultatibus. Obicit tamen Rev.mus Scretarius approbationem ab auctoritate ecclesiastica faciendam, ut Institutum personalitate canonica donetur, formale decretum requirere; quapropter proponit ut dicatur «per formale decretum».

Propositio recipitur.

Rev.mus nonus Consultor postulat ut deleantur, in lin. 3, verba «vero» et «dicitur», quod omnibus placet. Expunguntur etiam, proponente Rev.mo undecimo Consultore, verba «ad normam iuris», quia non videntur necessaria.

Denique parva discussio fit quoad expressionem «approbationis decretum ab Apostolica Sede nondum est consecutum».

Animadvertisit enim Rev.mus decimus Consultor non omnia Instituta ex eorum natura et fine necessarie tendere debere ad hanc approbationem obtinendam: sunt quoque Instituta — ait Rev.mus — quae propter ipsorum fines manere exoptant uti Instituta iuris tantum dioecesani. Ad tollendas difficultates, Rev.mus Relator proponit, et ab omnibus accipitur, ut dicatur «*non est consecutum*».

Textus ergo huius canonis ita manet approbatus:

§ 1. Institutum clericale dicitur quod, vi iuris particularis, exercitium ordinis sacri assumit et uti tale ab Ecclesiae auctoritate agnoscitur.

§ 2. Institutum dicitur iuris pontificii quod ab Apostolica Sede aut erectum aut per formale decretum approbatum est; iuris dioecesani quod ab Episcopo dioecesano erectum, huiusmodi approbationis decretum ab Apostolica Sede non est consecutum.

Ad can. sextum

Formula proposita ita sonat:

«Quae de Institutis perfectionis statuuntur, etsi masculino vocabulo expressa, valent pari iure de mulieribus, nisi ex contextu sermonis vel ex rei natura aliud constet».

Postulat Rev.mus nonus Consultor ut haec addantur verba: «perfectio-nis *eorumque sodalibus...*». Ad mentem huius aliarumque animadversio-num, Relator hanc proponit formulam emendatam:

«Quae de Institutorum perfectionis sodalibus statuuntur, pari iure de utroque sexu valent, nisi ex contextu sermonis vel ex rei natura aliud constet».

Facta suffragatione hic textus ab omnibus Consultoribus recipitur.

Canones ergo praeliminares Primae Partis Schematis «De Institutis perfectionis» manent approbati sub formulis quae prostant in Adnexo II huius relationis conclusivae.

III. CANONES PRAELIMINARES SECUNDÆ PARTIS

Rev.mus Relator in mentem adstantium revocat rationes ob quas ii canones apparati sunt (cf. Adnexum I). Dein formulae propositae suc-cessive leguntur; sed cum tempus non suppetat ad singulos textus perpen-dendos, Consultores rogantur ut tantum animadversiones generales pro-ponant.

Schema omnibus placet quoad substantiam. Attamen quaedam fiunt observations.

Ad can. 1 § 1 notatur ab Em.mo Praeside Commissionis expressionem in fine positam, nempe «alia cum eis in saeculo conversantem», bene in-telligi posse in textu conciliari ex quo haec verba desumpta sunt; in textu autem iuridico ipsa expressio minore ditatur praecisione. Conversari enim cum hominibus, sicuti imitatio Christi de qua etiam agitur, res sunt quae de omnibus christifidelibus praedicari possunt.

Ad can. 1 § 2 ipse Em.mus Praeses animadvertisit poni non posse in ea-dem linea «fundatorum mentem atque proposita» ex una parte, et «Insti-tutorum leges» ex alia parte; quandoque enim, uti nostris temporibus eve-nit in casu quorumdam Institutorum saecularium, spiritus fundatorum vi accommodari debuit ad leges generales vigentes etsi non adaequatas.

Respondet tamen Rev.mus Relator hic non agi de hac re, sed de legibus fundamentalibus seu constitutivis longe probatis, quibus essentialia Insti-tutorum — eorum nempe finem, naturam, indolem — iuxta spiritum fundatorum revera statuta fuerunt.

Notat Exc.mus primus Consultor necessitatem addendi in ipso can. 1 elementum magni momenti, a Concilio Vaticano II quoque memoratum,

nempe «sanas traditiones Institutorum», quae una cum spiritu fundatorum et legibus fundamentalibus mutari non possunt.

Ad can. 2 quaerit Rev.mus sextus Consultor ut clare indicetur differentia inter «regulam» et «constitutiones» Institutorum, ne quis male interpretetur normas quae datae sunt in Motu Pr. *Ecclesiae Sanctae* ad recognoscendum ius particulare uniuscuiusque Instituti.

Nulla alia animadversio generalis fit; quapropter Consultores rogantur ab Em.mo Praeside ut animadversiones particulares in scriptis proponant ante novam Coetus sessionem, in qua formulae singulorum canonum examini subiicientur.

Rev.mus Secretarius petit ut, si fieri possit, eae animadversiones particulares mittantur intra mensem ianuario proximo, una cum propositionibus de Institutis monasticis.

Preces de more dicuntur et finis imponitur huic XII^{ae} Sessioni Coetus studii «De Institutis perfectionis».

Romae, die 18 novembris 1971.

I. HERRANZ
Actuarius

Adnexum I

RELATIO INTRODUCTIVA DECIMA: DE SECUNDA PARTE SCHEMATIS GENERALIS CORRIGENDA ET APPROBANDA AC DE CANONIBUS PRAELIMINARIBUS

I. DE SECUNDA PARTE SCHEMATIS GENERALIS

1. In ultima sessione nostri Coetus Studiorum Rev.mi Consultores examini subiecerunt canones disciplinam statuentes circa bona temporalia institutorum perfectionis eorumque administratione. Ita — saltem modo provisorio — examen canonum qui ad primam partem Schematis Generalis pertinent terminum habuit. Oportet igitur nunc manus apponere ad formulationem, examen et approbationem canonum qui ad secundam partem eiusdem Schematis seu ad partem specialem pertinent. Sed antequam gressum ponamus ad hoc faciendum, necessarium mihi videtur ad trutinam iterum revocare secundam partem Schematis, quae sequentem habet rubricam: «De iis quae nonnullis Institutis perfectionis sunt propria». Haec enim pars Schematis Generalis modo dumtaxat generali et provvisorio in Sexta Sessione approbata fuit (cf. Relationem conclusivam Sessionis VI, *Communicationes*, II, 1970, 176, n. 6).

2. Parvus Coetus Consultorum pluries, sub moderamine Rev.mi Secretarii Commissionis, coadunatus est ad hoc examen secundae partis Schematis Generalis perficiendum. Post maturam considerationem et examen aliorum schematum a Relatore propositorum, Rev.mi Consultores Parvi Coetus decreverunt quasdam immutationes introducere in Schema Generale approbatum modo generali in sexta Sessione nostri Coetus Studiorum, quod attinet ad partem secundam seu specialem. In luce namque eorum quae iam facta sunt in prima parte schematis, necessarium visum est pauca immutare in parte secunda ut Schema Generale in omnibus suis partibus melius cohaerentiam et ordinem atque completionem demonstret.

3. Prima immutatio respicit ipsam rubricam generalem Secundae partis, quam supra n. 1 iam retulimus. Considerantes varias categorias quae in hac secunda parte schematis enumerantur, Consultores viderunt ibidem *omnia genera* Institutorum quae in Ecclesia habentur inveniri. Hoc de-

monstrari potest comparatione huius partis schematis cum enumeratione Institutorum a Patribus Concilii Vaticani II facta in Decreto *Perfectae Caritatis* (cf. nn. 1, 7-11).

Quapropter non appareat motivum quare in rubrica tractatio debeat restringi ad ea quae *nonnullis* Institutis sunt propria. Omnia enim Instituta ibidem enumerata sunt. Insuper in tractatione quae fit in hac secunda parte non agitur de singulis Institutis perfectionis sed de *supremis categoriis* seu de *generibus Institutorum*. Rubrica igitur magis respondens normis quae in hac parte continentur invenienda erat. Rev.mi Consultores concordes fuerunt in adoptanda hac rubrica: «*Pars specialis: De iis quae singulis Institutorum generibus sunt propria*». Consultores maluerunt uti verbo «genus» quam vocabulo «species» vel «categoria». Quodlibet enim Institutum perfectionis quamdam diversam speciem plusquam diversum «individuum» constituit. Vox deinde categoria non videtur esse vox latina, quamvis sit sufficienter in usu.

4. Uti appareat ex schemate approbato in Sessione sexta, suprema divisio secundae partis habebat «sectiones» tamquam suprema membra. Habantur nempe quinque sectiones, quarum prima et secunda erant subdivise in «Titulos». Quamquam vox «sectio» forsan melius innuat tractationem circa diversas «categorias» vel varia «genera» Institutorum perfectionis quam vocabulum «titulus», Rev.mis Consultoribus non placuit suprema divisio partis secundae in «sectiones» et adoptarunt illam in «titulos». Motiva huius mutationis duo sunt. Imprimis, Pars Prima seu generalis Schematis divisa non fuit in sectiones sed in titulos. Propterea melius est tenere eamdem divisionem supremam in utraque parte. Vox «sectio» insuper videtur denotare tractationem sat extensam, sicut appareat ex usu facto huius vocabuli in Codice vigenti (cf. Indicem Codicis Iuris Canonici, in Lib. II; Lib. III, Pars Secunda; Lib. IV; Lib. V, Pars Secunda). Sed iuxta principia directiva a Coetu nostro Studiorum iam approbata, etiam tractatio materiae in hac secunda parte debet manere generalis et facilis adaptationis cuique generi Institutorum. Etiam haec tractatio vel legislatio flexibilis esse debet. *Unde numerus canonum in unaquaque maiori subdivisione exiguis pro posse sit oportet.* Subdivisio, quae in schemate approbato constituebatur «titulis», in recognita divisione erit in «Articulos», vel, si necessarium videbitur, etiam in «Capita».

5. Quaestiones sat difficiles ortae sunt ex attenta consideratione obiecti cuiuscumque tituli in particulari et rubricarum quae singulis titulis apponi deberent. Imprimis omnes Consultores fuerunt concordes in assi-

gnanda peculiari tractatione institutis monasticis. Sed nullum dubium adest quin huiusmodi Instituta sint Instituta Religiosa et eorum sodales religiosi vel religiosae. Logice igitur pars quae respicit Instituta monastica non deberet separari a speciali legislatione quae respicit alia Instituta religiosa. Aliis verbis, unicus titulus deberet continere normas de Institutis monasticis et normas de aliis Institutis religiosis. Visum est tamen Consultoribus hanc methodum procedendi admitti nec debere nec posse. Impri- mis methodus haec a vigenti Codice adoptata non satisfacit, quia Instituta monastica, quamvis religiosa, suam peculiarem habent indolem ab aliis Institutis religiosis admodum diversam et ideo distinctam, et ideo peculiarem legislationem huiusmodi Instituta videntur exigere. Re quidem vera, legisla- tio Codicis vigilis neque monachis neque monialibus placuit propter illam veluti confusionem: inter Instituta monastica et alia Instituta religiosa. Fatendum est etiam leglatorem in legislatione formulanda et promulganda normas practicas et concretas vitae et disciplinae subditis imponere velle et non tractatum quemdam philosophicum eis proponere. Quare nullum inconveniens videtur sequi si divisio ab eodem adoptata non sit omnino logica et per partes perfecte se excludentes ordinata. *His omnibus perpensis, Parvus Coetus Consultorum maluit Titulum Primum huius secundae partis Institutis monasticis reservare.*

In praecedenti divisione a Coetu nostro Studiorum approbata, prima Sectio secundae partis in tres titulos apparebat divisa, quorum primus respiciebat monachos, secundus moniales et tertius clausuram monialium. Ipso Relatore proponente, tractatio distincta de clausura monialium suppressa est, quia necessaria non videbatur, eo vel magis quod Patres Concilii clausuram papalem reservatam voluerunt monialibus vitae unice contem- plativa (cf. Decretum: *Perfectae Caritatis*, n. 16; et etiam Motu Proprio *Ecclesiae Sanctae*, II, nn. 30-32). De clausura monialium igitur normae da- buntur simul cum aliis circa easdem moniales. Titulus primus proinde, cuius rubrica remanet: «*De Institutis monasticis*», in duos Articulos divide- tur, quorum primus normas peculiares includet: «*De monachis*» et secun- dus: «*De monialibus*».

6. Sectio Secunda praecedentis divisionis secundae partis Schematis Generalis, cuius rubrica haec erat: «*De Institutis religiosis operibus apostola- tus deditis*», mutata fuit in «*Titulum Secundum*», retenta tamen eadem ru- brica. Consultoribus tamen Parvi Coetus non placuit subdivisio horum in- stitutorum religiosorum in Instituta religiosa clericalia et Instituta religiosa laicalia, quae in praecedenti schemate secundae partis apparebat. Hodie enim huiusmodi subdivisio — quae non est propria Institutorum religio-

sorum — non iudicatur amplius sufficenter clara pro Institutis virorum. Praeterea, distinguere Instituta religiosa operibus apostolatus dedita in clericalia et laicalia videtur inopportunum, quia fundamentum divisionis sumitur quod est aliquantulum accidentale pro vita institutorum et sodalium. Quod essentialiter distinguit inter se huiusmodi Instituta religiosa non est nota clericalitatis vel laicalitatis (parcite verbis!), sed qualitas vitae quae in Institutis agitur secundum donum charismaticum receptum a Spiritu Sancto et in iure particulari eorum expressum. Omnibus attente consideratis, Consultoribus parvi Coetus visum est opportunum seligere criterium quod tenori vitae institutorum et sodalium magis respondet et quod etiam evolutionem vitae religiosae apostolicae, iuxta varias Ecclesiae necessitates, melius demonstrat.

Quapropter, genus supremum Institutorum religiosorum operibus apostolatus deditorum, de quo in hoc Titulo sermo erit, in tria genera inferiora dividimus, quorum primum erit «*Institutorum canonicorum*», secundum vero «*Institutorum conventionalium*» et tertium «*Institutorum apostolicorum*». Canonici enim regulares constituerunt primam formam vitae religiosae quae, etsi ad illam monasticam non parum est propinqua, hoc habuit peculiare quod vitam apostolicam ex instituto includebat et canonici regulares apostolatum exercebant in servitium populi Dei Ecclesiarum particularium et praesertim in ecclesia cathedrali et in illis capitolaribus. Ex hac forma vitae religiosae originem duxit vita proprie dicta conventionalis potissimum in magnis Ordinibus Mendicantium, qui ducunt vitam sic dictam mixtam ex contemplatione et actuoso apostolatu compositam. Haec forma vitae religiosae consociat strictam vitam conventualem et liturgicam cum apostolatu indolis universalis ex ipso iure particulari Institutorum et haec videtur esse nota peculiaris istius categoriae Institutorum. In tertia categoria Institutorum apostolicorum enumeranda sunt illa Instituta quorum sodales religiosi vulgo appellantur «Clerici Regulares» quaeque in Ecclesia apparuerunt inde a saeculo XVI. Ista Instituta non amplius retinent tamquam elementum veluti essentiale sollemnem recitationem Officii divini et fere omnes observantias sic dictas monasticas vel regulares ab eorum vita reiecerunt. Maiorem emphasis ponunt in activitate apostolica et, aliquantulum erronee, vocantur Instituta vitae activae. In hac categoria includuntur plurima Instituta religiosa moderniora tam virorum quam mulierum. Opera apostolatus quae ab ipsis exercentur sunt admodum varia.

7. In praecedenti Schemate approbato a nostro Coetu Studiorum associationes illae christifidelium quae in Codice vigenti describentur tamquam societas «sive virorum sive mulierum in communi viventium sine

votis» (cf. Lib. II, Pars II, Tit. XVII, in Rubrica Tituli et in can. 673), ponebantur in Sectione Tertia sub rubrica: «De Societatibus vitae communis». Nec tamen longa descriptio rubricae Tituli Codici vigentis nec rubrica Sectionis Tertiae acceptatae fuerunt a Consultoribus Parvi Coetus. Prima enim appareat nimis longa et ab ipsis Institutis huius categoriae reiecta est, dum alia non exprimit indolem propriam harum associationum, quae est eminenter apostolica, ita ut aspectus apostolicus earum videatur principem locum tenere in vita sodalium et praeminere etiam super earum naturam Institutorum perfectionis. Difficultas inveniendi adaequatam rubricam pro Titulo his associationibus reservato invenitur in hoc quod huiusmodi associationes in duas distinctas sectiones dividuntur, quae diversam propununt solutionem problemati quod huiusmodi associationes Coetui nostro praesentant. Numerosae enim associationes quae saltem exclusive non sunt missionariae intendunt retinere indolem institutorum perfectionis, quamvis peculiare statutum iuridicum expostulent. Plures tamen aliae associationes, quae potissimum sunt associationes missionales, nolunt enumerari inter instituta perfectionis, vel saltem sunt incertae et haesitantes. Cum aliam meliorem rubricam pro Titulo Tertio Consultores Parvi Coetus invenire non potuerint, illam — saltem pro momento — adoptare decreverunt quae magis videtur exprimere naturam seu essentiam earum, nempe: «*De Institutis apostolicis non religiosis*». Identificatio associationum est partim positiva et partim negativa, et hoc minus placet. Forsan ex discussione inter Consultores Coetus Studiorum resultare poterit rubrica magis accommodata et omnibus — imprimis vero ipsis associationibus — acceptabilis.

8. Sectio Quarta praecedentis schematis quae sequentem habebat rubricam: «*De Institutis saecularibus*», nullam aliam mutationem sustinuit praeter illam «sectionis» in «Titulum». Difficultas hic non invenitur in assignando loco huiusmodi Institutis vel in formulanda rubrica sed in describendis Institutis saecularibus et in identificatione elementorum essentia- lium eorum. Non pauca enim enumerantur Instituta saecularia, a competenti Ecclesiae auctoritate rite approbata, quae ab Institutis religiosis vix differunt. Sed de hac re sermo erit quando tempus veniet formulandi canones qui Instituta saecularia respiciunt.

9. Quando — initio Sessionis VI nostri Coetus — Schema Generale proponebam Rev.mis Consultoribus cum notis explicativis cuiuslibet partis divisionis quae ibidem apparet, quoad instituta perfectionis *exempta* dicebam in nostro schemate necessarium esse quasdam ponere normas, quia

Patres Concilii institutum exemptionis hodiernis Ecclesiae adiunctis accommodatum servaverunt (cf. Const. Dogm. *Lumen Gentium*, n. 45 et Decr. *Christus Dominus*, n. 35, 3). Cum tamen exemptio — tunc dicebam — «in iure vigenti non sit concessa omnibus institutis perfectionis nec rationabiliter praevideatur Summum Pontificem illam extendere velle praedicto modo, locus proprius de ea normas statuendi non est pars generalis sed pars haec secunda ubi, ut iam dixi, agitur de iis quae nonnullis institutis perfectionis sunt propria» (*Relatio Conclusiva Sessionis VI, «Adnexum I»*, n. 15).¹ Argumentatio haec tunc sat persuasiva apparebat, sed post profundorem quaestionis considerationem Consultores Parvi Coetus arbitrati sunt locum proprium harum normarum non inveniri in secunda parte Schematis Generalis sed in prima parte, seu in parte generali. Instituta namque exempta, quamquam, sub quodam aspectu, categoriam specialem horum institutorum constituunt, tamen exempta non appellantur propter aliquam intrinsecam qualitatem ipsis specificam, sicut accidit pro pertinencia institutorum alicui ex supra enumeratis categoriis. Unde absonum videtur categoriam institutorum exemptorum cum aliis in hac parte schematis enumerare. Insuper, etsi verum sit quod non omnia instituta perfectionis exempta sunt, tamen institutum exemptionis reservatum non est alicui categoriae institutorum. Immo, Patres Concilii aperte statuerunt: «... quodcumque perfectionis Institutum ac sodales singuli a Summo Pontifice... ab Ordinariorum loci iurisdictione eximi et ei soli subiici possunt» (Const. Dogm. *Lumen Gentium*, n. 45). Unde, quamvis *actu* non omnia instituta perfectionis sint exempta, quae tamen *actu* non sunt in *potentia* ita considerari debent. Et hoc videtur sufficere ut de exemptione tractari possit in parte generali schematis tamquam de qualitate quadam generali Institutorum perfectionis. Quare, *Consultores Parvi Coetus decreverunt expungere ex secunda parte Schematis Generalis «sectionem quintam: De Institutis exemptis», de quibus tractandum erit in parte prima eiusdem Schematis et praecise post Titulum III: «De Institutorum regimine», quia exemptio ad regimem institutorum pertinere videtur eique adiudicanda est.*

10. Tam in Const. Dogm. *Lumen Gentium* n. 43, quam in Decr. *Perfectae Caritatis* n. 1, specifica mentio fit a Patribus Concilii alicuius formae vitae Deo consecratae per professionem consiliorum evangelicorum quae ab eis appellatur «*forma vitae solitariae*». Et notandum est Patres illam formam non collocare intra ambitum alicuius categoriae institutorum perfectionis sed eam opponere «*formae vitae communis*» vel «*familiis religiosis*»

¹ Cf. *Communicationes*, XXV, 1993, 308-309.

(cf. *ibid.*). Certe erroneum non putamus huiusmodi formam vitae solitariae identificare cum «*vita eremitica*», de qua Coetus noster non parum disputavit perdurantibus duabus primis sessionibus et circa quam quosdam etiam canones formulavit (cf. Relationem conclusivam I^{ae} Sessionis).¹ Ex informationibus quae recentiore tempore ad me pervenerunt, *clarum apparet motum ad vitam eremiticam amplectendam fortiorum in dies fieri pluribus in regionibus*. Motus iste non coarctatur ad sodales Institutorum monasticorum sed extenditur ad omnes formas vitae consecratae et pertingit etiam ad laicos. Ex hoc sequitur ius recognitum illum motum ignorare non posse, sed quasdam normas pro vita eremitarum rite agnoscenda et ordinanda promulgandas esse. Cum tamen eremitae proveniant ex qualibet categoria eorum qui consilia evangelica profitentur et etiam ex statu laicali, non videtur possibile has normas includere cum eis quae pro quodam genere Institutorum statuuntur. Tandem, cum eremitae vitam agant solitariam et Institutum perfectionis — etiam cum minima interna organizatione — constituere minime possint, sermo fieri non potest de «*Institutis eremiticis vel eremitarum*». His omnibus perpensis, Consultores Parvi Coetus Relatoris suggestionem, adiungendi nempe in fine secundae partis Schematis alium titulum cum sequenti rubrica: «*Titulus V: De vita eremitica*», libenter acceperunt.

11. Schema partis secundae seu specialis in superioribus numeris per varia eius membra expositum sequentia commoda — meo saltem submisso iudicio — praeseferre videtur. Imprimis, cum haec secunda pars naturaliter sequatur primam eamque praesupponat, canones in hac secunda parte inserendi debent esse pauci, quia tantummodo de exigentiis specialibus et specificis alicuius generis vel categoriae institutorum normas dare debent. Hoc etiam ex eo patet quod huiusmodi normae, licet specificis necessitatibus respondere debeant, oportet ut indolem generalem retineant, cum applicacionem universalem exigant ad omnia Instituta illius generis vel categoriae. Deinde, Schema propositum nullam categoriam Institutorum perfectionis in Ecclesia hodie florentem neglit; immo provisio videtur facta pro aliis possibilibus formis vitae consecratae quas Spiritus Sanctus forsitan suscitare dignabitur tempore futuro, sicut recenter fecit pro institutis Saecularibus. Nam, in hac parte secunda Schematis Generalis quae hodie Vobis, Rev.mi Consultores, proponitur examinanda, absque ulla difficultate adiungi possunt alii tituli in quibus normae accommodatae his novis formis vitae per professionem consiliorum evangelicorum Deo consecratae poni possunt.

¹ Cf. *Communicationes*, XVI, 1984, 222-225, 239.

Normae enim in prima parte Schematis positae faciliter applicari possunt cuivius generi institutorum perfectionis, quia indolis vere generalis sunt. Tandem in schemate proposito omnes categoriae Institutorum non tantum bene distinctae inveniuntur, absque periculo cuiuslibet confusionis, sed Instituta eadem mensura in iure tractantur, absque ulla praferentia vel discriminatione. Ita tollitur incommodum quod in Codice vigenti habetur et contra quod non pauci vehementer insurrexerunt: Instituta nempe religiosa posita erant tamquam exemplar quod alii imitari et sequi debent. Haec methodus certe non profuit neque Institutis religiosis neque aliis.

12. *En Schema divisionis Secundae Partis Schematis Generalis:*

PARS SECUNDA SEU SPECIALIS

(*De iis quae singulis Institutorum generibus sunt propria*)

Titulus I: De Institutis monasticis

Art. I: De Monachis

Art. II: De Monialibus

Titulus II: De Institutis religiosis operibus apostolatus deditis

Art. I: De Institutis canonicorum

Art. II: De Institutis conventualibus

Art. III: De Institutis apostolicis

Titulus III: De Institutis apostolicis non religiosis

Titulus IV: De Institutis saecularibus

Titulus V: De Vita eremitica

II. DE CANONIBUS PRAELIMINARIBUS

13. Expositis quae dicenda erant circa secundam partem Schematis Generalis, necessarium est ut Consultores huius Coetus Studiorum manus apponant ad examen canonum qui pro quolibet genere Institutorum perfectionis statuendi sunt. Opportunum tamen videtur, immo forsitan et necessarium, quosdam canones praeliminares vel introductivos universae secundae parti praemittere ad quaedam statuenda, *quae omnibus Institutis propria dici possint*, et etiam ad vitandas repetitiones. Apta tamen selectio

canonum, qui secundae parti Schematis praemitti debent tamquam praeliminares, mihi apparuit admodum difficilis et fere impossibilis nisi eodem tempore etiam canones praeliminares primae partis Schematis generalis se-ligerentur. Relationes enim inter primos et alteros tam intimae et numerosae sunt ut plerumque arduum appareat decernere quinam ad primam se-riem et quinam ad alteram pertinere debeant. Verum quidem est nostrum Coetum Studiorum in prima et secunda Sessione quosdam formulasse ca-nones qui tamquam praeliminares ad totam tractationem considerati sunt, sed postquam *titulus* nostri Coetus Studiorum mutatus fuerat et Coetus non amplius « De Religiosis » sed « *De Institutis Perfectionis* » appellatus est, clarum apparuit illos canones tamquam praeliminares ad universam legisla-tionem circa Instituta perfectionis, vel saltem ad primam partem, manere non posse vel saltem non omnes manere posse. *Proinde necessarium mihi visum est simul cum canonibus praeliminaribus secundae partis Schematis ite-rum formulari etiam canones praelinaires ad universam tractationem vel saltem ad primam partem.* Hoc proposui Rev.mis Consultoribus Parvi Coetus, qui modum procedendi humaniter approbaverunt. Quare in hac parte Relatio-nis introductoryae sermo erit *et de canonibus praeliminaribus generalibus vel saltem primae partis Schematis Generalis et de canonibus praeliminaribus se-cundae partis.*

14. Licet in adunationibus Consultorum Parvi Coetus quaetio tractata non fuit circa locum quem canones primae seriei occupare debent; utrum nempe ponendi sint *ante* « Primam partem », et sic aestimari debeant tamquam canones praeliminares ad universam legislationem « *De Institutis Perfectionis* », an *e contra post* rubricam « *Prima partis: De iis quae Insti-tutis Perfectionis sunt communia* », et ita considerari debeant tamquam praeliminares ad primam partem dumtaxat, attenta eorum indole mihi magis placet ut tamquam canones praeliminares « *generales* », universae le-gislationi circa Instituta perfectionis praepositi considerentur. Ultimam ta-men decisionem Rev.mis Consultoribus nostri Coetus Studiorum adsu-mendam reservare malui et consequenter locutus sum in praecedenti nu-mero « *de canonibus praeliminaribus generalibus vel saltem primae partis Schematis Generalis* ». Post requisitam discussionem decisio magis apta absque dubio habebitur.

15. In formulandis canonibus primae et alterae seriei non parvam at-tentionem posui ut, quantum fieri potuit, canones iam approbatos in pri-ma et secunda sessione nostri Coetus adhiberem. Cum tamen plures ex his canonibus induant indolem restrictam institutorum religiosorum (sensu

stricto), non paucos relinquere debui ut, si res ferat, in parte quae de religiosis agit introducerentur. Ita, v. gr. absonum esset in canonibus praeliminariis, sive generalibus sive secundae partis Schematis Generalis agere de statu religioso, de monachis et eremitis, de instituto religioso centralizato vel minus, de votis religiosis, etc. Praeterea, labor iam peractus in exarandis canonibus primae partis Schematis, lucem mihi attulit tam ad selectionem canonum praeliminarium faciendam quam ad canones ipsos formulandos.

Curam non minorem adhibui ut his in canonibus praeliminariis, qui veluti viam sternunt ad universam legislationem vel ad secundam partem et eis *tonum peculiarem* quodammodo tribuunt, fideliter sequatur et expri- matur doctrina in Concilio Oecumenico Vaticano II tradita circa Instituta perfectionis. Quando, absque detimento claritatis et brevitatis, verba ipsa Patrum Concilii in canonibus poni potuerunt ea in textum introduxi, at- tento tamen quod sensum eorum non adulterarem per eorum ablationem ex proprio contextu.

16. Oblitus quoque non sum principiorum a Coetu nostro approbato- rum quae laborem recognitionis iuris Institutorum perfectionis dirigere de- bent (cf. Relationem conclusivam Sessionis III).¹ Etiam hi canones praelimi- nares, immo forsitan potissimum hi canones praeliminares «fovere» de- bent «donum Dei vocationis religiosae, adiuvare gratiae opus in animabus Deo dicatis ut ad perfectionem caritatis pertingant»; «sancire dumtaxat... principia generaliora quae omnibus institutis faciliter applicari possunt» et in tuto ponere congruam flexibilitatem «ut eae normae faciliter aptari pos- sent diversis conditionibus et exigentiis Ecclesiae et ipsorum institutorum». *Ob haec motiva canones praeliminares in dolem non mere iuridicam sed et theologicam ostendunt et omnino universales in sua latitudine et applicatio- ne apparent.*

17. Quot et quales canones seligendi sunt tamquam praeliminares ge- nerales seu introductory ad universam tractationem vel saltem ad primam partem Schematis Generalis? Ut iam supra notavi, solutio huius problema- tis facilis non fuit, sed post multam considerationem et amplam consulta- tionem et discussionem cum Rev.mis Consultoribus Parvi Coetus, ad de- terminationem perveni includendi in hac parte *sex tantum canones* sequenti modo concinnati et ordinati: In *primo* canone, sicut par est, conatus sum tradere notionem saltem descriptivam Institutorum perfectionis, obiectum legislationis totius huius partis. Descriptionem, quae partim iuridica par-

¹ Cf. *Communicationes*, XVIII, 1986, 200-201.

tim theologica est, collegi ex diversis partibus documentorum Concilii. Deinde, doctrinam sequens in Constitutione Dogmatica *Lumen Gentium* traditam, locum indicavi quem status eorum, qui evangelica consilia in huiusmodi Institutis profitentur, occupat in Ecclesia et tandem affirmavi necessitatem specialis vocationis a Deo datae in iis qui, sive clerici sint sive laici, hunc statum amplectuntur, et tandem finem huius vitae ostendi qui intime cum vita Ecclesiae eiusque missione connectitur. Can. *secundus*, affirmationem Patrum Concilii repetens, statuit consilia evangelica donum divinum esse quod datum est Ecclesiae conservandum, cui proinde competit eorum proxim moderari et Institutorum leges approbare eaque adiuvare. Per can. *tertium* manifestatur immediatus effectus professionis consiliorum evangelicorum, nempe consecratio Deo facta novo titulo et dedicatio ad salutem hominum procurandam secundum vocationem propriam Instituti ad quod profitens pertinet. Huiusmodi tamen consecratio et dedicatio non sunt contra dignitatem personae humanae sed, e contra, hominem reddunt maxime aptum ut per suam vitam et actuosum apostolatum, non tantum Regnum Dei in corde hominum stabiatur, sed etiam terrena civitas magis ac magis in Domino fundetur ad ipsumque dirigatur. Sicut in Constitutione Dogmatica aperte affirmatur, in *quarto* canone statuitur per professionem consiliorum evangelicorum statum constitui, honore dignum, qui est signum sanctitatis Ecclesiae et praenuntiat gloriam Regni coelestis. In *quinto* canone traditur notio Instituti clericalis, iuris pontificii et iuris dioecesani, quae desumitur ex canonibus iam a Coetu approbatis in secunda sessione. Canon tandem *sextus* mulieribus «pari iure» extendit quod pro viris statuitur, nisi evidenter constet de contrario.

18. Meo submisso iudicio, per istos sex canones constituitur introduc^{tio} sufficenter apta, theologicoo-iuridica, legislationis generalis seu communis Ecclesiae quae Instituta perfectionis eorumque sodales respicit. Scimus enim quid intelligendum sit per Institutum perfectionis et quemnam locum huiusmodi Instituta occupent in Ecclesia Christi. Aperte affirmatur necessitas vocationis divinae in iis qui hunc statum amplectere volunt qui que non reservatur neque clericis neque laicis sed iis quos Dominus eligere dignatur. Propterea, consilia evangelica sunt donum divinum quod tamen Deus, etsi per vocationem homines singulos elit ad ea profitenda, Ecclesiae relinquunt conservandum et variis in Institutis per suam sapientem et adiutricem actionem ordinandum. Sed quinam sunt effectus professionis consiliorum in homine qui per ea consecratur? Totalis dedicatio servitio Dei, *novo titulo facta*, et Ecclesiae missioni. Unde sequitur – ut dicitur in Decreto *Perfectae caritatis* — quod quaelibet vocatio ad vitam per consilia

evangelica consecrata est eminenter apostolica. Cum autem Dominus, etsi sacrificia et abnegationes a diligentibus se exigit, vim naturae humanae non inferat, nullo modo affirmari potest statum eorum qui evangelica consilia amplectuntur vel dignitati personae humanae contrarium esse vel eiusdem evolutioni obstare. Immo, personae ita Deo et Ecclesiae dicatae summae utilitatis sunt etiam humanae societati. Status tamen huiusmodi et personae quae in eo vitam agunt potissimum valent tamquam signum et testimonium sanctitatis Ecclesiae et futurae gloriae Regni Dei. Dantur hic etiam notiones Instituti clericalis, Instituti iuris pontificii et iuris dioecesani quia hae expressiones occurrent in canonibus etiam primae partis. In notione Instituti clericalis, ex quodam canone in secunda sessione approbato desumpta, omisi verba: «secus non clericale dicitur», quia non videtur conveniens categoriam tam numerosam Institutorum per simplicem negationem definire. Expressio deinde non videtur recta. Sicut christifideles — et quidem iure divino — dividuntur in clericos et laicos, ita convenit ut Instituta quae clericalia non sunt laicalia denominentur — salva quaestione de monachis, de qua postea erit sermo. Sed necessarium non videtur definire quid sint Instituta laicalia, quia ex notione Institutorum clericalium hoc immediate patet. Tandem, maxime conveniens appetat ut, iam ab initio legislationis quae Instituta perfectionis respicit, principium statuatur aequiparationis in iure inter sodales viros et mulieres et inter Instituta masculina et feminina. De hoc principio iam ab initio plures in Coetu Studiorum sermo factus est. Nulla hodie discriminatio inter viros et mulieres videtur possibilis, nisi evidenter aequiparatio videatur impossibilis, uti in quaestione de ordine sacro mulieribus conferendo et in illa de iurisdictione ecclesiastica, saltem usque adhuc!

19. Post explicationem in superioribus duobus numeris datam, necessarium non appetat ad textum canonum longas expositiones adiungere. Quare, nonnisi quando opportunum aestimabitur, quedam notae textui apponentur. En canones praeliminares generales:

CANON PRIMUS

§ 1. Instituta perfectionis christifidelium associationes sunt, Spiritu Sancto afflante conditae atque a competenti Ecclesiae auctoritate canonice erectae, quorum sodales, Christum pressius sequentes, per vota aut alia sacra ligamina consilia evangelica castitatis, paupertatis et oboedientiae secundum proprias leges profitentur, ut caritatis perfectionem in servitio Regni Dei consequantur.

§ 2. Status eorum qui in huiusmodi Institutis vitam fraternalm agunt, licet ad Ecclesiae structuram hierarchicam de se non spectet, ad eius tamen vitam et sanctitatem inconcusse pertinet.

§ 3. Ad hunc statum christifideles specialiter a Deo vocantur, alii clericci alii laici, ut in vita Ecclesiae peculiari dono fruantur et, suo quisque modo, eiusdem missioni salvificae prosint.

Notae:

a) Fons praecipuus ex quo verba huius canonis hausta sunt in tribus primis numeris Capitis VI (nn. 43-45) Constitutionis Dogmaticae *Lumen Gentium* invenitur. Et quidem recte, ut mihi videtur. Nam, in hoc Capite VI huius Constitutionis conciliaris traditur doctrina officialis Ecclesiae quoad essentiam Institutorum perfectionis, quoad consilia evangelica eorumque professionem et quoad statum qui exinde sequitur vel potius constituitur. Unde, quamvis terminologia, proh dolor, sit illa antiqua et quodammodo aequivoca, ad hunc fontem recursus fieri debet ad notionem Institutorum perfectionis habendam et ad statuendum locum quem in Ecclesia occupant.

b) In § 1 omnia elementa necessaria videntur collecta quae ad Institutum perfectionis constituendum exiguntur. Est nempe huiusmodi Institutum obiective quaedam fidelium associatio cum fine quodam specifico qui substantialiter consistit in sequela Christi per professionem consiliorum evangelicorum secundum leges proprias seu ius particular Instituti. Cum autem hoc Institutum sit ens ecclesiale plura ob motiva, absque dubio eius formalis existentia ab ipsa Ecclesia dependet, nempe per canonicam erectionem a legitima Auctoritate Ecclesiae factam.

c) Allusio ad «vitam fraternalm» eorum qui sodales sunt Institutorum perfectio- nis fit in § 2 ut in lucem ponatur aliud elementum necessarium in hoc statu, nempe intensem exercitium fraternalae caritatis. Dicitur quoque «de se», quia ratione potestatis iurisdictionis qua moderatores non pauci in Institutis clericalibus gaudent dici potest et debet haec Instituta suo modo ad structuram hierarchicam Ecclesiae spectare.

d) Ad vitandas quaestiones quae exurgere possent in hac parte, malui omittere assertionem: «Status huiusmodi... non est intermedius inter clericalem et laicalem conditionem» quae habetur in n. 43 Constitutionis Dogmaticae *Lumen Gentium*. Ceterum id quod maioris est momenti in § 3 est declaratio necessitatis vocationis quam Deus concedit cui vult, sive clericis sive laicis, tamquam donum datum in favorem missionis Ecclesiae.

§ 1. Consilia evangelica, utpote in verbis et exemplis Domini fundata, donum sunt divinum, quo Ecclesia a Domino suo accepit et gratia eius semper conservat.

§ 2. Ad auctoritate Ecclesiae spectat consiliorum praxim, quibus perfectio caritatis erga Deum et proximum singulariter fovetur, sapienter moderari, proprias Institutorum leges approbare eademque Instituta vigilanti cura adiuvare.

Notae:

a) Canon iste potissimum introductus est tamquam canon praeliminaris ad affirmandam naturam charismatice status eorum qui consilia evangelica profitentur. Propterea dicitur ea constituere donum divinum.

b) Sed aliud motivum habetur includendi hunc canonem inter praeliminaria, nempe: assertio statuens Ecclesiam tamquam depositariam huius doni divini, ad quam proinde exclusive pertinet statuere modum et conditiones sub quibus donum hoc a variis Institutis perfectionis et eorum sodalibus accipi et conservari debet per rectam praxim, iuxta ius particulare ab eadem Ecclesia approbatum.

21.

CANON TERTIUS

§ 1. Per consiliorum evangelicorum professionem christifideles Deo summe dilecto novo titulo totaliter consecrantur et iuxta propriam Institutti vocationem hominum saluti devoentur.

§ 2. Consilia evangelica, quamvis renuntiationem secumferant bonorum quae magni aestimanda veniunt, personae humanae profectui non obstant, sed natura sua eidem summopere prosunt. Ita pariter ea profitentes, quin ab hominibus alieni fiant, immo cum eis spiritualiter cooperantur ut etiam terrena civitas semper in Domino fundetur ad ipsumque dirigatur.

Notae:

a) Duo maioris momenti principia a Patribus Concilii asserta in § 1 ponuntur. Professio nempe consiliorum evangelicorum est quid plus quam dedicatio servitio divino quae in homine fit per baptismum. Christifidelis per illam professionem Deo consecratur *totaliter novo titulo*. Secundo, haec professio non tantum hominem consecrat servitio Dei sed etiam illum dedicat saluti hominum iuxta vocationem seu specialem finem cuiusque Instituti. Aliis verbis, tam vocatio Instituti quam vocatio sodalium, quae ab illa dependent, est essentialiter apostolica et cum missione Ecclesiae intime connectitur (cf. Const. Dogm. *Lumen Gentium*, n. 44, Decr. *Perfectae Caritatis*, nn. 1, 5).

b) § 2 continet sollemnem affirmationem, contra varios diffamantes, summae utilitatis vitae per professionem consiliorum evangelicorum consecratae, tam pro Ec-

clesia quam pro civili societate. Impetus hostium potissimum dirigitur contra instituta vitae contemplativae ac si viri et mulieres hanc vitam amplectentes essent Ecclesiae ac consortio hominum inutiles. Inaequivocabilem responsionem habuerunt a Patribus Concilii (cf. Decr. *Perfectae Caritatis*, nn. 7, 9). Necessarium etiam putavi referre, ex Const. Dogm. *Lumen Gentium*, n. 46, claram refutationem eorum qui ausi sunt affirmare professionem consiliorum dignitati et profectui personae humanae opponi eamque deprimere.

22.

CANON QUARTUS

Status consilia evangelica profitentium, quem Ecclesia semper in honore habet, eiusdem Ecclesiae sanctitatis est signum et gloriam Regni coelestis praenuntiat.

Notae:

Canon praeliminaris quartus, qui desumitur ex n. 44 Const. dogm. *Lumen Gentium* et ex nn. 1, 25 Decr. *Perfectae Caritatis*, intendit demonstrare valorem testimonii sanctitatis Ecclesiae, quod huic confertur ab iis qui consilia evangelica publice profitentur in institutis perfectionis. Nam, ut dictum est supra in can. 3, § 2, praxis consiliorum singulariter fovere perfectionem caritatis erga Deum et proximum in qua sanctitas invenitur. Consequenter Ecclesia non potest non habere hunc statum in honore illumque fovere et imperare ut ab omnibus in honore habeatur. Insuper, ut affirmant Patres Concilii, statutus huiusmodi: «qui suos asseclas a curis terrenis magis liberat, magis etiam tum bona coelestia iam in hoc saeculo praesentia omnibus credentibus manifestat, tum vitam novam et aeternam redemptione Christi acquisitam testificat, tum resurrectionem futuram et gloriam Regni coelestis praenuntiat» (Const. Dogm. *Lumen Gentium*, n. 44). Maximi autem momenti videtur in initio legislationis resipientis Instituta perfectionis valorem sanctificantem et escatologicum vitae consecratae in lucem ponere.

23.

CANON QUINTUS

§ 1. Institutum clericale dicitur quod, vi iuris particularis, specialem persequitur finem exercitium ordinis sacri munera secumferentem, quodque uti tale ab Ecclesiae auctoritate agnoscitur.

§ 2. Institutum dicitur iuris pontificii quod ab Apostolica Sede aut erectum aut per speciale decretum approbatum est; iuris vero diocesani dicitur quod ab Episcopo dioecesano ad normam iuris erectum, huiusmodi approbationis decretum ab Apostolica Sede nondum est consecutum.

Notae:

a) Canon iste, quoad substantiam, refert nn. 1 et 2 canonis tertii in secunda sessione nostri Coetus Studiorum approbati. Dixi quoad substantiam quia quaedam immutationes introductae sunt quae necessariae videbantur.

b) Sublatum est imprimis vocabulum «religiosum» quo Institutum specificabatur. Nunc enim in parte generali non possumus loqui de instituto religioso sed de Instituto «perfectionis». Similiter, verbum «Constitutionum» mutare oportebat in «iuris particularis». In § 1 deinde loco dicendi «munerum clericalium», quae expressio minus placet et locum dare potest alicui aequivocationi, posui «ordinis sacri». Ordines namque sic dicti «minores» absque dubio non parvam recognitionem proxime habebunt et munera quae eis nunc attribuuntur etiam a laicis regulariter exercentur. Unde melius est loqui de muniberis ordinis sacri. Claritatis gratia adiunxi «ab Ecclesia» ad tollendam quamcumque dubietatem circa auctoritatem quae ius habet et potestatem agnoscendi aliquam associationem fidelium tamquam Institutum perfectionis, sive sit clericale sive non, licet prima selectio pertineat ad ipsum Institutum per proprias leges particulares. Omisi expressionem: «uti tale in erectionis decreto» quia non necessario hoc fit in decreto erectionis. Pariter, opportunum non duxi servare verba: «et cuius igitur sodalium magna pars clerici sint oportet». Hoc namque criterium non videtur ita clarum et securum ut poni debeat tamquam elementum constitutivum et discriminativum. Ceterum necessarium non apparet; sufficiens erit, si enim habetur finis qui requirit exercitium ordinis sacri, definitio ex parte iuris particularis et agnitus a competenti Ecclesiae auctoritate, et certe non erit necessarium recurrere ad aliud criterium ad Institutum specificandum. Supra iam dictum est quare ultima verba: «secus non-clericale dicitur» exclusa sunt.

c) In secunda § fere nihil fuit immutatum ex n. 2º praedicti canonis tertii. In fine illius numeri dicebatur: «dicitur... huiusmodi approbationis decretum ab Apostolica Sede *non est consecutum*». Hoc, ni fallor, affirmatum fuit quia opinio a quibusdam defenditur quod possint dari Instituta perfectionis quae «ex instituto» possent semper manere instituta iuris dioecesani. Sed quodlibet Institutum perfectionis est «Ecclesiae» et non ecclesiae particularis et proinde habet ius ut crescat et floreat iuxta proprium charisma et nemo ius habet eius augmentum quoquo modo impediendi. Si autem Institutum in plures dioeceses diffunditur maxime convenit ut iuris pontificii fiat. Etiam ius conditum in hoc sensu exprimitur (cf. can. 488, 3º). Quare, consentientibus omnibus Rev.mis Consultoribus Parvi Coetus, expressio ita mutata est: «... huiusmodi approbationis decretum ab Apostolica sede *nondum est consecutum*».

24.

CANON SEXTUS

Quae de Institutis perfectionis statuuntur, etsi masculino vocabulo expressa, valent pari iure de mulieribus, nisi ex contextu sermonis vel ex rei natura aliud constet.

Notae:

Iam supra exposui motivum includendi hunc canonem inter praeliminaires generales, nec aliud addendum puto. Canon est quodammodo adaptatio exigentiis Institutorum perfectionis primae partis canonis quarti in secunda sessione nostri Coetus approbati, ubi dicebatur: «Nomine religiosorum veniunt etiam religiosae, nisi ex contextu aut ex natura rei aliud constet». Ut clariore modo constet ius recognitum nullam intentionem habere admittendi indebitas discriminationes inter viros et mulieres, ad-didi verba: «pari iure».

III. DE CANONIBUS PRAELIMINARIBUS SECUNDÆ PARTIS

25. Quaestio moveri potest circa necessitatem vel etiam opportunitatem quosdam canones praeliminares parti secundæ Schematis generalis praeponendi. Ratio dubitandi est sequens. De canonibus praeliminaribus generalibus vel parti primæ Schematis praemittendis agens, dicebam eos oportere ut sint omnino indolis generalis, quia introducere debent universam legislationem quae Instituta perfectionis respicit vel saltem canones partis primæ schematis quae statuunt normas communes pro omnibus Institutis indiscriminatim. In secunda tamen parte Schematis generalis — ut supra notavi — quaedam normae specificae tradentur pro omnibus et singulis categoriis Institutorum perfectionis. Concorditer enim cum aliis Rev.mis Consultoribus Parvi Coetus, rubricam generalem huius secundæ partis, quae ita sonabat: «De iis quae nonnullis Institutis sunt propria», in aliam mutavi quae ita legitur: «*De iis quae singulis Institutorum generibus sunt propria*». Unde videretur quod canones generales, de quibus iam sermo factus est, sufficientem introductionem constituere possent etiam pro parte secunda Schematis. Dubitandum enim non est quin etiam canones praeliminares secundæ partis, si ponerentur, indolis generalis debeant esse, cum omnibus generibus Institutorum applicabiles sint oportet. Re quidem vera, pluries facile non fuit discernere num aliquis canon deberet ponit tamquam praeliminaris huius secundæ partis vel tamquam praeliminaris generalis.

26. Licet quae in superiore numero dicta sunt fundamento quodam non careant, mihi visum est opportunum paucos canones secundæ parti praemittere qui aptam introductionem huic parti constituere possent. Et in hoc consenserunt etiam alii Consultores Parvi Coetus. Sed quinam canones tamquam praeliminares huius partis ponendi sunt? Iuxta principia directiva a Coetu nostro approbata, quae etiam in hac secunda parte appli-

canda sunt, sicut iam supra dictum est, canones secundae partis debent esse generales et flexibles, etsi specifici pro quolibet genere Institutorum. Propterea, Legislator etiam hic debet se coarctare ad tradendas paucas normas generales pro qualibet categoria. Evidenter haec paucae normae exigunt applicationem et completionem per ius particulare cuiusque Instituti, quod ius maius momentum habebit pro vita et disciplina sodalium quam ius commune, seu quam normae generales datae pro qualibet categoria. Insuper, notandum est cum Patribus Concilii quod illae variae formae vitae solitariae vel communis, variaeque familiae quae in agro Domini ex germine divinitus dato mirabiliter ac multipliciter creverunt (cf. Const. Dogm. *Lumen Gentium* n. 43) vel, ut iidem Patres alibi loquuntur, permulta illa Instituta quae sunt in Ecclesia, *habent donationes differentes secundum gratiam quae data est eis* (cf. Decr. *Perfectae Caritatis* n. 8). Quodlibet scilicet Institutum perfectionis habet proprium charisma et propriam gratiam seu vocationem quae data est ei a Domino. Quare, etiam distinctio inter varia Instituta perfectionis, sive generica sive specifica, ab alto provenit et fit a fundatoribus et ab Ecclesia sub influxu Spiritus Sancti, sicut dictum est in primo canone supra formulato. Ex hoc sequitur quod non est in libertate sodalium vel moderatorum Instituti essentiam eius mutare.

27. Due observationes in praecedenti numero factae criterium mihi praebuerunt ad seligendos canones praeliminares aptos — saltem ut mihi videtur — secundae parti praemittendos. Maxime iuvat, imprimis, initio huius secundae partis statuere principium iuxta quod distinctiones inter varia Instituta, quae in Ecclesia apparent, non sunt opus mere humanum sed ex voluntate divina descendere. Hoc est motivum verum quare « Ecclesia propriam indolem variorum Institutorum... tuetur et fovet » (Const. Dogm. *Lumen Gentium*, n. 44). « In ipsum Ecclesiae bonum cedit ut instituta peculiarem suam indolem ac munus habeant » (Decr. *Perfectae Caritatis*, n. 2, b). Ex hoc naturaliter consequitur norma statuens strictam prohibitionem pro omnibus mutandi ea quae in Instituto essentialia elementa considerantur. Et de hoc agit primus canon praeliminaris huius partis.

In Decreto *Perfectae Caritatis*, quod officialiter vocatur « Decretum de accommodata renovatione vitae religiosae », Patres Conciliares omnibus Institutis imponunt renovationem vitae et disciplinae et consequenter iuris eorum particularis. Inter normas directivas quas tradunt, duae nostra magis intersunt eo quod ius particulare directe respiciunt. Prima est haec: « ... fideliter agnoscantur et serventur Fundatorum spiritus propriaque proposita, necnon sanae traditiones, quae omnia cuiusque instituti patrimonium constituunt » (Decr. *Perfectae Caritatis*, n. 2, b). Secunda vero ita sonat:

« ... serio perpendendum est optimas accommodationes ad necessitates temporis nostri peractas effectum non sortiri, nisi animentur renovatione spirituali, cui semper etiam in operibus externis promovendis primae partes tribuenda sunt » (*Decr. Perfectae Caritatis*, n. 2, e) et ideo omnes recordare debent: « ... spem renovationis ponendam esse magis in diligentiore regulae et constitutionum observantia quam in multiplicandis legibus » (*ibid.*, n. 4).

28. In Motu Proprio *Ecclesiae Sanctae*, die 6 augusti 1966 promulgato, quo, inter alia, dantur normae ad exsequendum Decretum *Perfectae Caritatis*, sequens statuitur criterium pro recognitione iuris particularis singulorum Institutorum perfectionis: « 12. Uniuscuiusque Instituti leges generales (Constitutiones, Typica, Regulae vel quovis nomine designatae) haec ferre elementa complectantur: a) principia evangelica et theologica de vita religiosa eiusque unione cum Ecclesia, atque apta et certa verba quibus agnoscantur et serventur Fundatorum spiritus propriaque proposita, nec non sanae traditiones quae omnia cuiusque Instituti patrimonium constituent (n. 2 b Decr. *Perfectae caritatis*); b) normas iuridicas necessarias ad Instituti indolem, fines mediaque clare definienda, quae normae nimis multiplicandae non sunt sed semper adaequato modo exprimi debent. 13. Utriusque elementi, spiritualis nempe et iuridici, unio necessaria est ut Institutorum codices praecipui stabile fundamentum habeant, eosque verus spiritus et norma vitalis pervadant; cavendum igitur est ne conficiatur tex-tus vel tantum iuridicus vel mere exhortatorius. 14. Ex Institutorum codice fundamentali ea excludantur quae iam obsoleta sint, aut secundum consuetudines alicuius aetatis mutabilia, vel moribus mere localibus respondentia. Illae vero normae, quae praesenti aetati, sodalium conditionibus physicis, psychicis necnon peculiaribus rerum adiunctis respondeant, ponantur in codicibus additiciis, qui ‘directoria’, libri usuum, vel aliis nominibus vocantur » (*Motu Proprio Ecclesiae Sanctae*, II, Pars I, nn. 12-14; *AAS*, LVIII, 1966, p. 777).

Criterium huiusmodi sapienter ad actum deducit principium subsidarietatis in difficulti opere recognitionis iuris particularis Institutorum. Distinctio fieri debet inter normas necessarias ad Instituti indolem, fines mediaque definienda, quae substantiam veluti instituti constituunt ac proinde, ad cautelam et protectionem, auctoritati competenti Ecclesiae submit-tendae sunt, et alias normas quas Institutum statuere vult ad propriam vi-tam et disciplinam dirigendam. Cum hae ultimae magis mutabiles sint et eas mutare oporteat magis frequenter, iuxta temporum et locorum adiuncta, relinquuntur recognoscenda et mutanda auctoritati internae ipsius In-

stituti, cuius moderatores et sodales sunt in meliore conditione cognoscendi et decidendi in hac re.

Neminem certe latet magna utilitas, pro ipsis Institutis perfectionis in legislatione Codicis recogniti, introducendi huiusmodi criteria tam practica et tam necessaria. Haec autem criteria valent pro omnibus categoriis vel generibus Institutorum, etsi de renovatione iuris particularis tantum agunt. Quapropter, ni fallor, tamquam canones praeliminaires secundae partis ponenda sunt. Et ita factum est in canonibus secundo et tertio. Rev.mi Consultores nostri Coetus Studiorum videant num rectum iudicium factum sit circa inclusionem horum trium canonum et num alii in hac parte introducendi sint.

29.

CANON PRIMUS

§ 1. Per multa in Ecclesia sunt Instituta perfectionis variis Spiritus charismatibus ornata, quae donationes habent, secundum gratiam quae data est eis, differentes: Christum enim alia imitantur orantem, alia actuosa operositate hominibus beneficentem, alia cum eis in saeculo conversantem.

§ 2. Nemini fas est fundatorum mentem atque proposita necnon Institutorum leges ita mutare ut finis, natura et indoles (indoles, fines mediaque) ipsorum Institutorum essentialiter innoventur.

Notae:

a) Praeter ea quae in superioribus numeris exposita sunt, adiungere oportet quod § 1 videtur optimam introductionem constituere ad canones secundae partis qui de singulis generibus Institutorum agere debent. Textus quodammodo similis ei qui in hac § habetur, inclusus est in canone quarto Tituli VI primae partis: « De obligationibus Institutorum eorumque sodalium », sed sub aspectu omnino diverso. Puto proinde ambos textus servari posse. Si vero unus eorum supprimi deberet, mallem ut hic textus servaretur, quia mihi appareat necessarius ad ostendendam varietatem Institutorum non ex placito hominum provenire sed ex gratia vel charismate a Spiritu Sancto dato. In texto proposito videtur haberi completa enumeratio supremorum generum Institutorum quae dividuntur secundum qualitatem vitae quam sodales ducunt.

b) Quod dicitur in § 2 absque dubio concordat cum mente Patrum Concilii et cum sensu verborum ab ipsis usitatorum quaeque supra relata sunt. Concordant etiam cum interpretatione et applicatione facta in Motu Proprio *Ecclesiae Sanctae*, de quibus supra dictum est. Maxime hoc vetitum fit moderatoribus et auctoritati internae Institutorum, sed nec Auctoritas ecclesiastica competens potest absque gravissimo motivo et urgentissima causa illas innovationes facere. Posui intra uncos expressionem quae in Motu Proprio *Ecclesiae Sanctae* usitata fuit ut, si Rev.mis Consultoribus placuerit, lo-

co illius, quae in canone habetur, ponatur. Pervestigandum etiam erit num usus adverbii «essentialiter» in § 2 rectus sit. Ad vitandas cavillationes forsan melius erit vocabula quae significatum praecisum philosophicum habent non adhibere.

30.

CANON SECUNDUS

§ 1. Quae essentialia sunt ad normam § 2 canonis praecedentis in cuiusvis Instituti codice praecipuo, quocumque nomine veniat, statuenda sunt et a competenti Ecclesiae auctoritate approbari debent nec absque eiusdem beneplacito mutari possunt.

§ 2. Omnes aliae normae ad vitam, regimen et disciplinam pertinentes, a competenti Instituti auctoritate constitutae, in codicibus additiciis reponendae sunt, quae, prout necessitas vel utilitas postulat, ad normam iuris particularis recognosci et aptari possunt.

Notae:

a) De utilitate huius canonis et de convenientia eum adnumerandi inter canones praeliminaires secundae partis Schematis Generalis iam sufficienter dictum est supra. Quae dicta sunt in «Nota b» canonis praecedentis, quoad adverbium «essentialiter» applicari etiam possunt usui verbi «essentialia» in § 1 canonis. Cetera iam sunt supra exposita.

b) Post adunationes Parvi Coetus in quibus Consultores de hoc quoque canone discussiones habuerunt, unus ex Rev.mis Consultoribus, ad vitandam aliquam aequivocationem quae forsan oriri posset ex verbis sequentibus in § 1 positis, nempe «et a competenti Ecclesiae auctoritate approbari debent», ac si auctoritas Ecclesiae statutas normas cogatur approbare, infrascripto Relatori aliam formulationem § 1 mittere curavit, quae hic adnectitur ut Rev.mi Consultores Coetus Studiorum illam pree oculis habere possint: «Quae ad normam § 2 canonis praecedentis essentialia recensentur (sunt) in omnis Instituti codice praecipuo, quocumque nomine veniat, definienda atque approbationi competentis Auctoritatis Ecclesiasticae submittenda sunt; post vero hanc approbationem, absque eiusdem Auctoritatis beneplacito, mutari nequent».

c) In § 2 forsitan melius esse delere verbum «regimen» ad abusus quae inde oriri possent vitandos. Ceterum per verba «vitam et disciplinam» omnia videntur includi.

31.

CANON TERTIUS

§ 1. In his codicibus conficiendis spiritualia et iuridica ita componantur ut proprium Instituti donum vitae consecratae in eis plene exprimatur.

§ 2. Normae tamen ne multiplacentur cum Institutorum incrementum potissimum in fideli observantia obtineatur.

Notae:

a) Norma in § 1 proposita apprime concordat tam cum optatis Patrum Concilii et cum normis 12-13 Motu Proprio *Ecclesiae Sanctae* supra relatis quam cum primo principio directivo a nostro Coetu approbato in tertia sessione quod ita sonat: «In recognitione iuris religiosorum, canones ita redigantur ut appareat normas iuridicas, etsi thesauros gratiae vitae religiosae nec plene contineant nec multo minus exhaustant, fore tamen donum Dei vocationis religiosae, adiuvare gratiae opus in animabus Deo dicatis ut ad perfectionem caritatis pertingant easque custodire a periculis» (cf. Relationem Conclusivam Sessionis III, p. 43).¹ Si enim hoc dici potest et debet de canonibus seu de iure communi, magis et amplius convenit iuri particulari cuiusque Instituti quod modo magis directo et propinquiore dictos effectus producere debet.

b) § 2 est diversa formulatio moniti quod habetur in Decreto *Perfectae Caritatis* in fine n. 4.

Die 15 mensis novemboris 1971.

Relator

Adnexum II

PARS SECUNDA SEU SPECIALIS

(*De iis quae singulis Institutorum generibus sunt propria*)

Titulus I: De institutis monasticis

Art. I: De Monachis

Art. II: De Monialibus

Titulus II: De Institutis religiosis operibus apostolatus deditis

Art. I: De Institutis canonicorum

Art. II: De Institutis conventualibus

Art. III: De Institutis apostolicis

Titulus III: De aliis Institutis apostolati deditis.

Titulus IV: De Institutis saecularibus

Titulus V: De vita eremita

¹ Cf. *Communicationes*, XVIII, 1986, 200.

Adnexum III**CANONES PRAELIMINARES GENERALES***Can. primus*

§ 1. Vita per consiliorum evangelicorum professionem consecrata est stabilis vivendi forma qua fideles Christum pressius sequentes Deo summe dilecto totaliter dedicantur, ut in Eius honorem atque mundi salutem Ecclesiaeque aedificationem novo et peculiari titulo dediti, caritatis perfectio nem in servitio Regni Dei consequantur et praeclarum in Ecclesia signum effecti coelestem gloriam praenuntient.

§ 2. Quam vivendi formam in Institutis perfectionis, Spiritu Sancto afflante conditis et a competenti Ecclesiae auctoritate canonice erectis, libere assumunt Christifideles, qui per vota aut alia sacra ligamina, iuxta proprias Institutorum leges, consilia evangelica castitatis, paupertatis et oboedientiae servanda consociati profitentur et per caritatem, ad quam eadem ducunt, Ecclesiae eiusque mysterio speciali modo coniunguntur.

Can. secundus

§ 1. Status eorum qui in huiusmodi Institutis vitam fraternalm agunt, licet ad Ecclesiae structuram hierarchicam de se non spectet, ad eius tamen vitam et sanctitatem pertinet (et ideo ab ipsa enixe commendatur et fovetur).

§ 2. Ad hunc vitae consecratae statum Christifideles, sive clerici sive laici, specialiter a Deo vocantur ut in vita Ecclesiae peculiari dono fruantur et, suo quisque modo, eiusdem missioni salvificae prosint.

Can. tertius

§ 1. Consilia evangelica in Christi Magistri doctrina et exemplis fundata, donum sunt divinum quod Ecclesia a Domino accepit et gratia eius semper conservat.

§ 2. Ad Ecclesiae auctoritatem spectat, duce Spiritu Sancto, haec consilia interpretari, eorum proxim sapienter moderari, propria Institutorum statuta approbare eademque Instituta sollicita cura adiuvare et promovere.

Can. quartus

§ 1. Consiliorum evangelicorum professio, quamvis renuntiationem secumferat bonorum quae magni aestimanda veniunt, personae humanae vero profectui non obstat, sed natura sua eidem summopere prodest.

§ 2. Qui consilia evangelica profitentur, consecratione sua, neque ab hominibus alieni neque in civitate terrestri inutiles fiunt, etsi quandoque coetaneis suis directe non assistunt, cum eis tamen spiritualiter cooperantur, sive oratione et sacrificio sive evangelicum nuntium diffundendo.

§ 3. Omnes vero, etiam qui hominibus alia generose praestant servitia, aedificationem terrenae quoque civitatis ad Dominum dirigentes, Christo testimonium reddunt, ut Pater coelestis in omnibus glorificetur.

Can. quintus

§ 1. Institutum clericale dicitur quod, vi iuris particularis, exercitium ordinis sacri assumit et uti tale ab Ecclesiae auctoritate agnoscitur.

§ 2. Institutum dicitur iuris pontificii quod ab Apostolica Sede aut erectum aut per formale decretum approbatum est; iuris dioecesani quod ab Episcopo dioecesano erectum, huiusmodi approbationis decretum ab Apostolica Sede non est consecutum.

Can. sextus

Quae de Institutorum perfectionis Sodalibus statuuntur pari iure de utroque sexu valent, nisi ex contextu sermonis vel ex rei natura aliud constet.